


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 K
28

THESES PHILOSOPHICÆ
De
ANIMA



QVAS IN CATHOLICA
ET ELECTORALI VNIVERSI-
TATE INGOLSTADIENSI

PRÆSIDE



R.P. IGNATIO TELLINO
SOCIETATIS IESV PHILO-
SOPHIÆ PROFESSORE ORDI-
NARIO PVBLICE PROPVG-
NABIT.

NOBILIS DOMINVS IOAN-
NES CHRISTOPHORVS ADLZ-
REITER A TÖTTENWEIS, MONA-
CENSIS BAVARVS, METAPHY-
SICÆ STVDIOSVS.

MENSE MARTIO



JNGOLSTADII
Typis GEORGII HÆNLINI,
Anno Christi M. DC. LX.

[illegible]

REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

SEBASTIANO DENICHIO

EPISCOPO ALMIRENSI AC SVFFRAGANEO RATISBONENSI, NEC NON IN SPIRITVALIBVS PRÆSIDI, DOMINO SVO COGNATO VENERANDISSIMO.




Vi Theses meas de animâ disputandas dedicarem, non erat opus vel deliberare multùm, vel circumspicere; cùm cognatus sanguis ultrò indicaret, cui eæ potissimùm inscribendæ essent, videlicet Tibi Reverendissime & omni cultu ac obsequio venerandissime Domine Cognate, Quem cum Parens meus ac totam Familiam tuã semper in honore habuerit, & observârit reverenter, Filius non potest non summè venerari. Sanguis maternus, quem à Domino Casparo Lago quondam Professore in Alma Universitate Ingolstadianâ communem trahimus, & memoria Domini Ioachimi Denichij Genitoris tui, nec non Fratris tui Caspari non ita pridem piè defuncti

itidem Professorum eo loci celeberrimorum, animas utrinq; ita conglutinârunt, ut mirum non sit, primitias studiorum meorum eo spectare, unde exemplum Majorum ac Propinquorum animum accendat æmulandi Viros tam conspicuos & in Iuris Prudentia excellentes. Accedit ad hæc Imperium Parentis mei magno suo commodo experti, quàm sibi profuerit Parentis sui ac Fratris mandatis & optimis institutionibus olim paruisse. Offero proinde laborum meorum primos Fructus, quos laudis vestræ ac doctrinæ æmulo & ad omnia obsequentissimo Cognato triennium in Philosophia exactum tulit; eos ut benignè accipere ac gratiosè complecti velis, etiam atque etiam rogo, & demissè obsecro. Ingolstadij Anno Salutis M. D. C. LX.



JOANNES CHRISTOPHORUS
Adlzreiter à Tottenweis.



THESES
EX I. DE ANIMA.

I.


Nnima non est aliquid purè corporale, aut complexio humorum, aut harmonia, aut aliquod corpus tenue aut aliquid simile, sed est aliquid altius corporalem naturam excedens.

II. Quamvis in unoquoque Vivente etiam vegetativo certum nobis videatur inesse propriá animam, quæ sit forma substantialis, & actus intimus corporis organici, tantùm tamen abest, ut inde aliqui rectè deducant totum Vniversum esse unum vivens, haberéque unam animam, tanquam actum primum intrinsecum, quin potius deberent inferre oppositum. & quidem absolutè censemus esse evidenter impossibile, ut una sit Mundi anima, sive ea dicatur esse ipse DEVS, ut voluerunt aliqui Antiqui, relati ab August. *in lib. de civit. DEI*, sive asseratur esse intelligentia creata, ut minus incongruè opinatus est Avicenna.

EX II. DE ANIMA.

I. Nulla potentia materialis est cognoscitiva proprij actus aut reflexiva supra proprium esse, redeundo ad se, sed solum est cognoscitiva obiecti distincti à se, & ab omni proprio actu: eodem modo nullus appetitus materialis tendit in proprium actum, aut in proprium esse. Vnde consequitur, ut nullum

vivens materiale ſit operativum formaliter propter finem.

II. Indidem ſequitur omnem potentiam materialem eſſe ita cognoſcitivam alicuius tantum particularis generis ut neque ſupernaturaliter elevari poſſit ad cognoſcendum id, quod naturaliter non cognoſcit: at potentia immaterialis, quia propter ſuam eminentiam eſt cognoſcitiva totius entis atque adeò reflexiva in ſe, ſuóſque actus, poteſt elevari ad aliquid cognoſcendum; quod naturaliter non cognoſcit.

III. Lumen non eſt effluxus corpuſculorum, nec eſt ſubſtantia rei luminoſæ, nec illuminatio fit per motum localem, ſed per productionem veræ qualitatis accidentalis.

IV. Senſus non ſunt perceptivi tantummodo immutationis & experientiæ ſibi intrinſecæ, ſed obiectorum externorum: & ſententia collocans omnem ſenſationem in ſola impreſſione locali, atque receptione corpuſculorum, videtur nobis evidenter falſa.

V. Etiam conſequenter aſſerimus, evidens eſſe ſenſus omnes non eſſe præcisè tactus, intérque ſe differre præcisè penes maius & minus acumen in tactu.

EX III. DE ANIMA.

I. Anima rationalis eſt infima ordinis intelligibilis, & ideo ſe habet ut pura potentia in ipſo, adeóque oportet ut uniatur corpori, ad hoc, ut per ſenſus formas intelligibiles acquirat.

II. Solus intellectus humanus propriè & per ſe

facit

facit vniversale, non verò sensus aut phantasia;unde consequitur immortalitas animæ.

III. Propositiones, quas intellectus format circa obiecta necessaria, sunt ex se intrinsecè veræ, circa obiecta verò contingenter futura, non sunt determinatè veræ, veritate ijs adæquatè inhærente, aut existente de præsenti extra DEVM. Non potest eadem propositio transire de vera in falsam, & multò minus eadem esse vera & falsa.

IV. Veritas primariò est in intellectu, & secundariò in rebus;non potest intellectus positis præmissis evidentibus dissentiri, imò necessariò assentitur conclusioni. Et non tantùm opinamur necessariũ esse, ut conclusio reflectat supra præmissas, sed ut una præmissa reflectat in alteram.

V. Ita ordinariè in nostro discursu contingit successio temporanea, ut putemus hanc necessariam esse in discursu probabili, non autem in evidenti.

VI. Necessitas inductionis primò & per se oritur ex imperfectione intellectus in apprehendendo, & eiusdem utilitas & efficacia in concludendo non solùm non requirit expressam, vel implicitam enumerationem omnium singularium in antecedente, quin essentialiter eam excludit, & potius infert consequenter.



QVÆSTIO I. IN PRIMVM ET SECVNDVM DE ANIMA.

An anima sit forma & actus & omnes operationes sensus interni & externi qualitates specie inter se diversæ?

I.

Videtur quod non quoniam potest dici cum Galeno *cap. 3. & 4. lib. quod animi mores &c.* quòd anima sit tantum temperies quatuor primarum qualitatum; aut cum Atomistis, quòd sit præcisè corpus & combinatio variorum corpusculorum. & consequenter quod operationes sensuum sint meri tactus. Ergo non est necesse asserere animam esse actum substantialem corporis.

Resp. quòd est evidens animam non esse corpus sed aliquod altius corporalem naturam excedens: & ex hac evidentia aperitur via ad universalem confutationem opinionis Atomistarum, tum veterum, ut Empedoclis, Democriti, Leucippi &c. tum R. R. nostri temporis, ut Galilæi de Galilæis Itali; Renati de Cartes, Petri Gassendi Gallorum; Kenelmi Digbæi, Angli; Helmontij medici Bruxellensis, & similium infinitorum & quidem horum opinio nobis videtur prorsus damnanda, tanquam destructiva totius Metaphysicæ, & suo modo philosophandi ducens ad Atheismum circa existentiam & providentiam Numinis immaterialitatem & immortalitatem tam Angelorum, quàm animarum rationalium &c. Et quoniam hæc

res hæc tangit ipſum fundamentum totius Philoſophiæ naturalis, ideo radicitus & operoſius libet illam tractare; præſertim hoc tempore, contra deſertores & irriſores veritatis & Philoſophi.

ARTIC. I. THEOR. I.

In quacunque opinione Atomiſtarum evidens eſt aliquid de novo fieri, quod ſecundum ſuam entitatem priùs non extiterit.

II. Hoc theor. patet ex 1. Phyſ. & manifeſtum eſt in ipſo motu locali, diſpoſitione, figurâ & ordine, quæ ab ipſis Atomiſtis negari non poſſunt. Unde evidenter deducitur, magnam eſſe debilitatem intellectûs Atomiſtarum, qui præcisè propter illud effatum: *ex nihilo nihil*, negârunt omnem generationem & corruptionem, omnémque alterationem de novo.

ARTIC. II. THEOR. II.

Evidens eſt operationem intentionalẽ, prout complectitur actũ potentiæ ſenſitivæ, tum exterioris tum interioris, atq; actum potentiæ appetitivæ eſſe qualitatem realiter diſtinctam ab omni impreſſione locali facta ab Atomis.

III. Demonſtratio huius theorem: facilè habetur per habitudinem ad omne genus cauſæ. Et 1. quidem ex habitudine ad cauſam efficientem ita arguo: evidens eſt operationem cognitionis & appetionis eſſe actionem proficiſcentem effectivè ab ipſo vivente: ſed impreſſio localis facta ab alio corpore extrinſeco

est mera passio respectu corporis impulsi, ut patet ex terminis, & est in confesso apud ipsos Adversar: ergo operatio tum sensûs tum appetitûs, est qualitas distincta realiter ab omni impressione atomorũ & corpusculorum. Mai. est nota experientiâ; dementis enim est dubitare, an qui multa cogitat atque appetit, nihil prorsus agat. Imò est adeo nobis insitum eiusmodi operationes activè procedere ab ipso Vivente, ut per analogiam ad eiusmodi operationes atque ad ipsum vivens explicemus, quid sit agere, & quid sit esse causam efficientem, ut dictum est in 2. phys.

IV. Idipsum patet ex habitudine ad causam materialem: & argumentum nititur hoc principio: *forma eadem nata est conferre suam denominationem illi subiecto, cui per se finaliter & connaturaliter unitur.* Natura enim non dat vim ad recipiendam formam, nisi propter effectum formalem: si ergo operatio sensûs, sive sentire & appetere aliud non est, quàm recipere talem impressionem ab aliquo corpusculo sive atomo, cùm omnia corpora sint apta recipere eiusmodi impressiones & impulsus locales, sequitur perspicuè, quòd omne corpus, puta lignũ, lapis &c. possit videre, phantasticari, appetere &c. quod est evidenter absurdum. Quemadmodum enim motus circularis & impressio ad eiusmodi motũ, potest recipi tam in vivẽte, quàm in lapide & propterea pariformiter denominat lapidẽ motum, atq; aliquod vivens; ita similiter si impressio aut receptio alicuius corpusculi esset ipsissima visio, aut similis alia operatio, conferret eandem

dem denominationem, etiam cuicunq; corpori consimiliter mobili. Et quidem propter hanc rationem aliqui attribuerunt sensum & vitam omnibus prorsus creaturis: Aliqui autem eam subtraxerunt etiam animalibus; quandoquidem de utrisque videretur eodem modo opinandum, sive potiùs insaniendum.

V. Idem patet ex habitudine ad causam formalem. Ad cuius rei intelligentiam advertendum est, quòd magna & multiplex est diversitas inter esse reale & esse intentionale, atque adeò inter operationes intentionales, & quascunque reales. 1. enim multa repugnant secundùm esse reale, quæ tamen non repugnant secundùm esse intentionale: sic albedo & nigredo non possunt realiter esse in eadem parte subiecti, possunt tamē attingi per eandem visionē ab eodem oculo, & sic esse intentionaliter in eādē parte potentiæ sensitivæ. Rursus in eadem parte minimâ pupillæ, & quasi in eodē puncto includitur intentionaliter immensitas hemisphærij cœlestis, quæ secundùm esse reale occupat spatium amplissimum, & id provenit ex eo, quòd secundùm esse reale dicat impenetrabilitatem suarum partium, quam non dicit secundum esse intentionale. Vnde manifestum est, quòd esse intentionale est longè purius, abstractius & nobilius ex genere suo, quàm esse reale. Quare arbitrari operationes intentionales tam sensûs, quàm appetitûs, esse idem cum impressione atomorum, atque reali receptione corpusculorum, est confundere formalitatem & essentiam ipsius esse intentionalis, cum ipso esse

 reali,

reali, & est prorsus atttibuere omnibus corporibus, quantumvis crassis, vim sentiendi, & appetendi, ut arguit Philosop. contra Antiquos. Clarum ergo est ex habitudine ad causam formalem atque essentiam ipsius potentiæ & operationis intentionalis, omnes sensationes & appetitiones esse qualitates distinctas ab omni impressione & receptione corpusculorum, & esse intermedias inter qualitates purè spirituales & corporeas.

VI. Denique idem habetur ex habitudine ad causam finalem. finis enim intentus à naturâ in constitutione animalis atque potentiárum sensitivarum, est, ut animal per eiusmodi suas potentias & operationes attrahat ad se perfectiones omniũ sensibilium. Vnde aliquas potentias sensitivas ordinavit ad objecta distantia & longinqua, quales præcipuè sunt visus & auditus: & idcirco eiusmodi potentiæ non sunt datæ nisi ijs, quæ possunt localiter progredi, ut advertit phil. sed juxta opinionem Atomistarum, cùm omnis sensatio sit impressio localis, facta à corpore vel contiguo, vel recepto in ipso organo sensorio, sequitur manifestè, quod vnusquisque sensus non percipiat nisi sensibile sibi immediatum, ut consequenter fatentur ipsi Atomistæ; ergo hæc opinio est contra finem à naturâ intentum in constitutione viventis sensitivi, & confirm. manifestè, nam videtur clarum & innegabile, nos videre cœlum, terram, audire sonos longinquos; quandoquidem ex visione & auditione, atque imaginatione consequente, omnes

nes tum homines tum bellvæ naturaliter absque ullo discursu moveantur ad objectum remotum auditum, vel visum, & sanè si hoc semel negetur, vix apparebit quomodo, per discursum innotescant nobis objecta extrinseca; ergò à principio ad finem, demonstratio hæc perfecta est per omnes causas.

ARTIC III. THEOR. III.

Evidens est, operationes sensûs interni, puta actus imaginativos, memorativos, & similes, & operationes appetitûs, esse qualitates distinctas ab omni corpore, & receptione atque impressione corpusculorum.

VII. Hoc theor. iam est demonstratum in præced: & confirmatur evidentiùs in actu memorativo. Nam hic, qui manifestè exercetur à bellvis, essentialiter supponit aliquē actum præcessisse; nemo enim potest eius recordari, quod non fuit præcognitū. Insuper est actus indivisibiliter & totus simul comparans præsens cū præterito, & ideo diximus *4. Phy. cū phil. & Aug.* quod memoria est sensus temporis: atqui omnis impressio cuiuscunque corpusculi vel corporis facta per motum localem, & per quamcunq; iuxta positionem potest fieri, sive præcesserit, sive non præcesserit hic vel ille motus, & eiusmodi impressio facta per motum fit successivè quemadmodum ipse motus; ergò manifestum est, quòd actus potentiæ internæ est qualitas distincta ab omni impressione locali, atque ab omni receptione corpusculi. Vnde

rursus deducitur, quòd in ijsdem potentijs sensitivis internis necessè sit admittere qualitates permanentes, & non ordinatas per se ad motum localem, quæ sint species intentionales determinativæ ipsius potentiæ cognoscitiuæ ad actum memorativum.

ARTIC. IV. THEOR. IV.

Evidens est operationes sensûs, externi esse qualitates distinctas ab omni corpore & receptione atque impressione atomorum.

VIII. Hoc theorema est pariter demonstratum in penultimo, & vlterius confirmatur ratione, quam urget *Phil. 2. de Ani. à tex. 146. ad tex. 149.* quod videl. operatio sensûs exterioris atque etiam interioris est actus existens totus simul: Experimur enim evidenter nos simul & semel videre, audire, atque etiam habemus experientiam quòd totum nostrum judiciū & amor existat simul & indivisibilter; ergò isti actus ex suo conceptu non possunt esse aliquid successivum, quasi præcedat una pars, quæ deinde cesset adveniente altera, ut fit in motu locali aut in eâ impressione quæ proportionaliter producitur ad ipsum motum localem corporis imprimentis.

ARTIC. V. THEOR. V.

Evidens est non omnem sensum esse tactum: neque omnem sensationem esse operationem tactus, & consequenter sensus inter se non differre penes acumen vel obtusionem tactûs.

IX. Demonstratur 1. *à poster.* quoniam videtur per

per se absurdum dicere, quòd dum video cœlum, illud tango, aut dum audio sonum, illum etiam tangam; ergò manifestum est, quòd non omne sentire est tangere, sed ipsæ sensationes specie differunt. Et quidem id evidentiùs perspicitur in comparatione, nam per hoc; quod concipiamus aliquẽ in sensu gustus magis & magis perfici, atque fieri acutiorem & acutiorem in gustando, non per hoc possumus imaginari, quod pertingat ad vim & potentiam videndi; sicut neque per hoc, quod imaginemur aliquod animal crescere magis & magis in perfectione propriâ asini, possumus concipere, quòd propter tale augmentum pertingat ad rationem leonis aut hominis, ergò videtur evidenter absurdum opinari omnes sensus solùm inter se differre penes magis & minùs intra rationem tactûs.

X. Confirmatur nam est principiũ per se notum, & quidem omnium principalissimum, ut diximus in *lib. prior.* quòd videlicet *Natura creavit intellectum ad scientiam, & non ad errorem*: atqui tanta est differentia inter operationes sensuũ, ut si cum ea differentiâ consisteret unitas specifica & similitudo omnium sensuum, utique non solum Natura non creâsset nos ad scientiam, sed per apparentias fallaces, tanquam præstigias nos protinus decepisset, Demonstratio autem à priori insinuatur *à phil. 2, de Anim. t. 135.* quòd nimirum, cùm potentiæ sensitivæ atque operationes earum specificentur à diversis specie objectis, iisque commensurentur, impossibile est, quin ipsæ poten-

potentiæ ſenſitivæ inter ſe ſpecificè differant: vnde connaturali modo omnes gentes ex diverſitate operationum ſenſitivarum arguunt diverſitatẽ inter potentias, & ex hac, diverſitatem inter objecta; progredientes nimirum ab effectu ad cauſam. Et quidem tantam vim habet hæc ratiocinatio, ut Adverſariorum aliqui conſequenter philoſophantes, opinentur ipſum intellectum humanum aliud non eſſe, quàm tactum acutiſſimum: neque enim difficiliùs ferè eſt concipere tranſitum à guſtu ad intellectum, quàm à guſtu ad viſum, quod tamen eſt evidenter abſurdum.

ARTIC. VI. THEOR. VI.

Evidens eſt dari in univerſo diverſas ſpecie ſubſtantias corporeas: atque adeò falſam eſſe opinionem ſentientium omnes ſubſtantias eſſe entitativè ſimiles, & ſolùm differre penes rarum, denſum, figuram, ordinem, aut ſimilem aliam diſpoſitionem.

XI. Demonſtratio huius theorem. ſequitur luculenter ex præcedentib. quoniam enim evidens eſt operationes ſenſuum atque appetitûs eſſe qualitates diſtinctas ab omnibus corpuſculis & impreſſione eorundem, & diverſitas in qualitatibus & paſſionibus arguat evidenter diverſitatem ſpecificam & entitativam inter ſubſtantias, quibus eæ paſſiones & affectiones ſunt connaturales, manifeſtè fit, ſubſtantias corporeas ſenſitivas, tum inter ſe, tum multò magis à

ſubſtan-

ſubſtantijs corporeis vegetantibus, atque etiam inanimatis differre entitativè & ſpecificè.

XII. Confirmatur nam ex terminis videtur evidens, leonem quà leonem eſſe ſubſtantiam, & ſic de aliis viventibus, atque mixtis perfectis. De ijs enim verificantur eæ notiones, quas omnes homines formant, de ſubſtantia, ut apparet ex dictis in loco, cùm ſint & adæquatū rectum connaturale omnium prædicationum naturalium, & ſint menſura appetibilitatis & perfectionis in alijs: &, uno verbo, huc transferri poteſt, quod dicit philoſ. 7. metaph. quòd ſi ſubſtantiæ primæ, puta leo A. &c. non ſint ſubſtantiæ, nos planè fugit, quid ſit ſubſtantia, atqui & leo, quà leo, eſt entitativè diſſimilis equo quà equo, arbori quà arbori, &c. ergò videtur indubitatum ſubſtantias corporeas inter ſe entitativè & ſpecificè differre.

XIII. Confirmatur rurſus, quoniam videmus in ipſis elementis alijſque mixtis diverſimodam propenſionem atque inclinationem, & inde conſequentes pugnam & reſiſtentiam ad talem & talem diſpoſitionem localem, ſive penes raritatem & denſitatem, aut alias conſimiles; ergo in ipſis ſubſtantijs antecedenter ad omnem differentiam penes figuram, ſitum & ordinem datur differentia prior & entitativa conſiſtens formaliter in ipſa diverſitate ſubſtantiarum: ſic ignis & inclinat & pugnat pro tali diſpoſitione locali, pro tali gradu raritatis: & aqua pugnat pro gradibus oppoſitis; ergò in ipſis elementis datur

datur differentia & dissimilitudo entitativa penes substantias. Et sanè, ut argumentabamur in præcedenti theor. diversitas operationum atque apparentiarum, sub quibus substantiæ corporeæ nobis obijciuntur est tanta & talis, ut impellat omnem intellectum ad arguendam diversitatem ipsarum substantiarum; & si omnes substantiæ essent penitùs eiusdem speciei, ineptè natura constituisset tantam difformitatem apparentiæ, ex quâ unicè noster intellectus instrui potest. Ratio tandem à priori desumitur ex eo, quod diversitas specifica substantiarum necessariò consequitur ad diversum gradum elevationis atque recessûs à materiâ, atque ad diversam manifestationem primi Artificis, ut explicabitur infra.

ARTIC. VII. THEOR. VII.

Evidens est de novo fieri aliquid substantiale, atque etiam interire.

XIV. Hoc theor. sequitur ex præced. cùm enim evidens sit leonem, quà leonem de novo fieri: item taurum, quà taurum, sicque de alijs substantijs corporeis entitativè & specificè diversis, sequitur manifestè, ut vltima actualitas leonis de novo sit, quando generatur leo; & pereat, quando interit. implicat enim luculentam contradictionem, ut omnibus eodem prorsus modo manentibns, incipiat, vel intereat denominatio, ut ostensum est in prædicamentalib. quare necesse est admittere aliquid substantiale & fieri de novo, & interire. Quod confirm. quoniam

id,

id, per quod leo est perfectissimum animal, videtur esse manifestè quid substantiale; quomodo enim per id, quod non est substantia, potest leo evadere perfectissimum animal inter bruta? quare & cùm generatur leo, & cùm perit, aliquid substantiale de novo generatur & interit.

ARTIC. VIII. THEOR. VIII.

Evidens est dari formas substantiales in animalibus; atque adeò sustineri non potest, quod animal aliquod, E.g. leo, coalescat ex varijs corpusculis ingenerabilibus & incorrruptibilibus atque inter se vnitis per vnionem continuativam, quantumvis substantialem.

XV. Demonstratio 1. ita conficitur, si in leone E.g. non daretur forma substantialis, quæ esset principium & radix omnium operationum sensitivarum, sequeretur quod eiusmodi operationes elicerentur à varijs corpusculis, inter se localiter approximatis atq; vnitis continuativè, ita ut ea corpuscula, quæ separata sunt, non viva, nõ videntia, non imaginativa, non appetitiva &c. per approximationem localem atque unionem continuativam evaderent viva, visiva, imaginativa, appetitiva &c. Et hæc major propositio necessariò & consequenter concedenda est ab Adversar. sed hoc est evidenter falsum; ergò in leone evidens est dari formam substantialem, quæ sit principium elicitivum omnium operationum animalium. min. prob. & probatio nititur hoc unico princi-

principio: *quando aliqua substantia est per se intrinsecè & essentialiter inepta ad aliquam operationem immanentem & vitalem, implicat ut evadat connaturaliter apta & elicitiva eiusmodi operationis per meram approximationem localem aut continuationem alterius corporis pariformiter inepti.* Cuius principij ratio à priori est: quia virtus activa sequitur ad perfectionem intrinsecam agentis, & ideò manentibus omnibus intrinsecis eodem modo, necesse est, ut virtus activa sit penitùs eadē, licet possit per aliquid extrinsecū diversimodè applicari & cōpleri, ergò, evidens est non posse plura corpuscula, quæ seorsim sint inanima & inepta ad operationes immanentes sensationum, evadere per solam continuationem idonea principia eiusmodi operationum.

XVI. Confirmatur hoc argumentum, quia videtur evidens, quod si vnus stipes addatur alteri stipiti, & truncus trunco, quomodocunque figuretur aut continuetur ac disponatur localiter, impossibile est, ut præcisè ex tali dispositione consurgat unus Mercurius vel Aristoteles. & qui de hoc dubitat, est stipes; ergò impossibile est, ut corpuscula, quæ seorsim sunt trunci, per meram continuationē evadant principium operationū sensitivarū. Huic demonstrationi impossibile est respondere, nisi incidendo in unū ex duobus absurdissimis erroribus, sicut fecerunt Atomistæ. Aliqui enim videntes esse impossibile, ut per meram continuationem & dispositionem ac figurationem corpusculorum consurgat principium

verè

verè ſentiens, phantaſticans, appetens &c. abierunt in eam opinionem, quod ſolus homo per animam rationalem viveret, & animalia omnia verè & propriè non viverent, neque ſentirent, ſed præcisè agitarentur diverſis motibus localibus ab externo quodam Motore, & ideo excepto homine, comparant omne animal horologio domeſtico; niſi quod animal ſit horologium diuturnius, & cuius motores ſunt corpuſcula tenuiora. Alij verò videntes eſſe evidens, quòd animalia verè ſentirent, aliáſque operationes ſenſitivas elicerent, & volentes perſiſtere in ſua pravâ ſententiâ, quod ſola varietas figuræ, diſpoſitionis & ordinis efficeret de corpuſculis ſeorſim inanimis, atque inſenſitivis, complexum aliquod ſentiens, imaginans & appetens, conſequenter dixerunt, quod etiam homo non haberet animam immaterialem & immortalem, ſed coaleſceret ex varijs corpuſculis ingenerabilibus, & incorruptibilibus, & redderetur intelligens per talem eorundẽ figurationem & diſpoſitionem. Et hæc fuit opinio Democriti, Epicuri, & Lucret. Vnde ulterius proceſſerunt, dicentes, totum Vniverſum, totumque ipſius ordinem haberi à merâ diſpoſitione & figura, atque ordine corpuſculorum; & proinde negârunt divinam providentiam ponentes Deos otioſos. Vnde meritò diximus, quòd opinio Atomiſtarum eſt via recta ad Atheiſmum, ad negandam immortalitatẽ animæ &c.

XVII. Demonſtratio 2. inſinuatur à phil. in 2. *de Anim. t. 30.* quoniam enim apparet in animali

 com-

compositio ex varijs partibus heterogeneis, atque inter se pugnantibus, quoad peculiares inclinationes, & tamen simul cum hoc apparet manifestè fœdus earundem partium, atque conspiratio ad bonum totius, inde manifestè fit, ut in animali debeat dari una forma substantialis, cui subordinentur omnes partes & elementa, & quæ easdem partes atque earum inclinationes contineat, & ordinet ad suum bonum: manifestè enim insitum est nobis à Natura, quòd unum debet procedere ab uno, & non, quòd unitas revocetur ad multa, atque adeò ubicunque apparet in omni substantia una per se conspiratio & fœdus plurium partium, inter se alioquin pugnantium, ad unum idemq; bonum totius, manifestè impellimur ad eiusmodi unitatem revocandam ad unum principium atque radicem; ergo intolerabilis est error Atomistarum, qui ob defectum Metaphysices non solùm multitudinem non revocant ad unum, sed ipsam unitatem revocant ad multa; dum dicunt, quod unitas animalis, puta leonis, habetur & salvatur per plura corpuscula inter se pugnantia, & diversa. Et in hoc meliùs est philosophatus Democrit. qui consequenter ad sua principia de Atomis posuit mundos plures, quia non videbat, quomodo à pluralitate corpusculorum possit haberi unitas.

XVIII. Confirmatur hæc ratio quoniam evidens & indubitatum est, dari in homine formam substantialem animæ rationalis, ut etiam Atomistæ saltem in reverentiam fidei concedunt; at ingenitum est unicui-

cuique à se ipso philosophari cum proportione ad cætera entia, quoad ea prædicata, in quibus convenit cum cæteris, propter illud principium notissimum, quod nimirum *natura circa similia similes leges facit, & in ijs, in quibus est sola similitudo proportionis, proportionales observat leges.* Et ideo ut diximus 2. phys. homo factus est similis omnibus generibus entium, & quasi compendium totius mundi, ut à notitiâ sui ipsius deduceretur ad scientiam de omnibus alijs. Cùm igitur unusquisque experiatur in se propriam formam, seu animam, ab eâque videat procedere unitatem & ordinem suarum omnium operationum atque symmetriam partium; & cùm appareat proportionalis ordo & unitas atque symmetria in reliquis substantijs sensitivis, vegetativis, & mixtis perfectis; utique sequitur, ut meritò debeamus arguere in reliquis substantijs formam substantialem intrinsecam, à qua proveniat unitas, ordo & symmetria.

ARTIC. IX. THEOR. IX.

Etiam in plantis atque omnibus vegetabilibus datur forma substantialis.

XIX. Demonstratio 1. huius theorem habetur ex præcedenti theorem. nam altera demonstratio ibidem allata, cum sua confirmatione, habet hîc eundem vigorem: quandoquidem in omnibus viventibus vegetativis apparet consimile fœdus & conspiratio partium, tum in essendo, tum in operando, ad bonum ipsius totius, & in individuo & in specie. Vnde

videmus, quòd in eiusmodi viventibus datur operatio nutritionis atque augmentationis, per quam consulitur bono totius individui: Insuper datur operatio generationis, per quam consulitur bono totius speciei, eiusque perpetuitati: atqui mera combinatio corpusculorum non potest fundare eiusmodi operationes: sic domus coalescens ex diversis corporibus, puta lapidibus, calce, trabibus, cæmento &c. non habet operationes nutritionis aut augmentationis, per quas consulatur incolumitati domûs, neque operationem generationis, per quam perpetuet seipsam in specie.

XX. Altera demonstratio promotiva prioris, insinuatur à Phil. *2. de An. t. 39.* Vbi ait, quod ignis extra mixtum non habet certum finem sui incrementi, sed in infinitum potest crescere si apponatur pabulum: at verò videmus quòd in mixtis, & præsertim in viventibus, ignis contentus inibi (sive formaliter, sive virtualiter, ut dicitur in loco) non operatur in infinitum, sed habet certum terminum, videlicet, ut nimirum operatio ipsius eò usque procedat in concoctione cibi aut nutrimenti, quousque id spectet ad incolumitatē & bonum ipsius viventis; ergo signum est, quòd in viventibus omnibus, imò & in mixtis, datur forma substantialis, quæ continet & moderatur virtutes elementares sibi subservientes atq; subordinatas, & quæ, ut philosophatur *Arist. 2. de generat. anim. c. 4.* se habet ut paterfamilias in domo, qui præest omnibus domesticis, continet omnes in officio, & necessaria distribuit proportionaliter,

Sic

Sic anima vegetativa ex sincerissimis partibus alimenti generat, nutrit, & auget partes nobiliores animalium ac plantarum; ex alijs cæteras partes cum debitâ proportione: ex excrementis utilibus ungues, capillos &c. & excrementa penitus inutilia eijcit.

XXI. Vis totius huius consequentiæ & rationis innititur huic principio videlicet, *non potest esse naturalis alicui parti motus, qui est contra eius inclinationem particularem, nisi sit secundum ordinationem formæ totius, quæ prædominatur omnibus in toto.* Nam si unaquæque pars conspirat ad bonũ suum, & non est aliquod totum, ad cuius bonum debeat conspirare, illud præferendo bono proprio, sequitur manifestè, ut operetur semper sectando tantùm bonum proprium: sicut in regimine politico, si non est aliqua unitas dominativa atque moderativa totius Reip. utique singuli conspirabunt tantùm ad bonum proprium, & fiet seditio. Sic in ordine totius universi, nisi daretur Deus, qui est bonũ commune, & universale omniũ, utique partes universi non sectarentur bonum totius, neque aqua ascenderet in locum aëris ad impediendum vacuum. Cùm ergo evidenter videamus in mixto, præsertim in vivente vegetativo, quòd ignis, terra, aliaque elementa subordinentur in essendo & in operando ad bonum totius, sequitur dari unam formam, quæ dominatur in toto, reliquaque omnia contineat, & quâ ablatâ omnes partes & elementa sequuntur proprias inclinationes. & ideo animâ ablatâ concidit animal, quia statim incipit prævalere

B incli-



inclinatio terræ ad motum deorſum, non refrænata per appetitum animæ dominatricis: & ideo forma dicitur à phil. aliquid divinum, quia ſe habet in toto aliquo particulari, ſicut Deus in univerſo.

ARTIC. X. THEOR. X.

Datur etiã forma ſubſtantialis in mixtis perfectis.

XXII. Demonſtratio huius theor. proximè inſinuata eſt in præced. rationes enim inibi poſitæ probant in omni perfecto mixto, ſed & aliæ rationes accedent in ſequentibus.

ARTIC. XI. THEOR. XI.

Datur etiam forma ſubſtantialis, non ſolum in homine, animalibus, plantis, mixtis perfectis, ſed etiam in elementis.

XXIII. Hoc theor. ſequatur licet ex præcedentibus, operæ tamen pretium eſt illud ſimpliciter demonſtrare. Et quidem per cauſam efficientem, formalem & finalem, & primò quidem demonſtratio per cauſam efficientem ita procedit. Omnis ſubſtantia naturalis eſt artefactum reſpectu artis divinæ, tanquã effectricis omnium naturaliũ; ergo in omni ſubſtantia adæquata & per ſe una, datur forma ſubſtantialis, quæ ſit principiũ intrinſecum & radix connaturalis omnium proprietatum, affectionũ, atque accidentium ipſius ſubſtantiæ. hæc conſequent. fundatur ſuper principio per ſe noto, videl. *quod in natura ita ſe res habet, ut eſt melius ſe habere*, ut dicitur *1. Ethic.* cuius effati veritas inſuper ex eo patet: quod

ſi al i-

si alicui occurrat optima ratio alicuius naturalis effectûs, statim eam præfert minus bonæ, ex eo tantùm cap. quòd pro certo habeat Naturam in operando respicere ad optimum: sed meliùs est, ut in unaquaque substantia tum animata, tum inanimata, ordo & unitas ipsius tum in operando, tum in essendo reducatur in unam formam tanquam in intrinsecam & perseverantem radicē, quàm in multa principia disparata, ut videtur per se patere: ergo ita se habet.

XXIV. Huius rationis evidentia erit magis conspicua si advertatur hallucinatio Atomistarum: Hi enim ex eo, quòd vident contingere in artefacto artis creatæ, ubi sola dispositio localis atq; figura inducitur, arguunt quòd in substantijs Sola pariter dispositio localis atque novitas figuræ & ordinis inducatur: deberent autem é contrario potius philosophari: ars enim creata, propter suā imbecillitatem & tenuitatem activitatis solùm extenditur ad motum localem, dispositionémque inde provenientem, ut ostensum est *2. phys*: nec valet in suo effectu producere primam radicem & principium intrinsecum eiusmodi dispositionis, & proprietatum inde consequentium. Vnde rursus sequitur ut in effectu artis creatæ desit connaturalitas & suavitas: at ars divina, quæ propter suam omnipotentiam omnia suaviter & fortiter facit, nō solùm producit in suo artefacto dispositionem localem atq; symmetriā aliquam, sed insuper producit radicem primam, & principium

 intrin-

intrinſecum eiuſmodi diſpoſitionis & ſymmetriæ, atque poſtulans conſervationem & perpetuitatem totius individui.

XXV. Cuius veritatis manifeſtum indicium eſt diverſitas illa, quæ conſpicitur inter opera naturæ & opera artis creatæ: corpora enim naturalia & operantur ad conſervationem proprij individui, & habent vim producendi ſibi ſimilia ad perpetuandam ſpeciem, & hoc totum ipſis convenit propter formam ſubſtantialē intrinſecam, tendentem in bonum totius individui & ſpeciei, & dominantē omnibus partibus & elementis. Et indidem conſurgit ſuavitas & connaturalitas in operibus naturæ, quia unaquæque pars tunc ſuaviter regitur & operatur, quando ſequitur inclinationem formæ totius: at verò quia in opere artis creatæ non producitur prima radix & principium intrinſecum, ſed solùm mera diſpoſitio accidentalis, ideo, ut habet *Philoſ 2. Phyſ.* lectica non generat lecticam, ſicut homo hominem, ignis ignem &c. Huius ſimilitudo ſatis conveniens eſt in re morali: homo enim quando per amorem adoptat ſibi filium, non poteſt ex ſua debilitate & efficacia amoris imprimere adoptato veram filiationem intrinſecam æquivalentem illi, quæ habetur per generationem phyſicam, & per quam habet jus naturale ad hæreditatem, & ad alios effectus paterni amoris: Vnde, ut loquuntur Iuriſtæ, ſit pater adoptivus, & filius per fictionem juris. Secundùm quam pater fingendo & imaginando ſe eſſe patrem,

trem, obligat se ad effectus veri patris: at gloriosus Deus, qui fecit nos filios adoptionis suæ per amorem suum omnipotentem, facit nos intrinsecè filios, producendo in nobis formam intrinsecam filiationis, per quam verè clamamus *Abba pater*, ut loquitur Apost. & dat nobis *potestatem filios Dei fieri*, ut habet Ioan. Evang. idque sine omni fictione: sic ars divina in operibus suis producit formam substantialem intrinsecã, quæ sit radix prima & perseverans & principium intrisecum unitatis in toto.

XXVI. Per habitudinẽ verò ad causam formalem ita conficitur demonstratio: omnes species substantiarum corporearũ suam quidditatem & nobilitatem derivant à gradu elevationis, quo sublimantur supra materiam, id est, supra puram potentiam: ut ex professo declaratum est à nobis in. 1. de An. sic enim nobis immaterialitas & immortalitas animæ rationalis innotescit, nam quando operatio alicuius elevatur supra materiam & modum operandi ipsius, etiã ipsa forma tantundem elevatur. Vnde primò arguimus, quod quando operatio alicuius formæ nullo modo indiget objecto sensibili, tunc ea forma prorsus eximitur ab ordine materiæ, sicut apparet in substantiâ Angelicâ. Quando autem operatio indiget quidem objecto sensibili naturaliter à quo incipiat, sed postea abstrahere possit à materiâ, & cognoscere formas immateriales, sicut facit anima rationalis, arguimus quòd eiusmodi forma indiget quidem pro primo sui esse connaturaliter materiâ,

quam informet, sed postea est separabilis ab ea, atque adeò immortalis. Si verò cognitio atque operatio indiget objecto sensibili atque extenso, ut non possit ullatenus esse sine eo, sicut accidit in cognitione sensitiva, tunc inferimus, quod forma eius, anima videl. sensitiva sit inseparabilis à materiâ adeóq; materialis; si tamen ea operatio ita indigeat objecto extenso & sensibili, ut tamē longè superet modū essendi ipsius, combinando nimirum in se intentionaliter ea, quæ realiter in eodem subjecto repugnant, & reducendo in idem punctum secundum esse intentionale ea, quæ secundum esse reale occupant spatia amplissima, rectè arguimus eiusmodi formam atque animam aliquatenus elevari à materiâ, & superare modum operandi materialem penes qualitates frigoris & caloris, & similes.

XXVII. Deinde si operatio non habet hanc perfectionem, sed tamen habet principium intrinsecum tum ad intra per nutritionem, tum ad extra per generationem, inferimus eiusmodi formam esse minùs elevatam à materiâ præcedenti, magis tamen quàm sint formæ mixtorum inanimatorum. In ipso autem mixto, cùm videamus quod formæ & qualitates elementares combinenter & contineantur secundùm esse & virtutem saltem refractam, inde est, quòd etiam in formâ mixti apparet aliqualis elevatio supra materiam, quandoquidem combinat simul qualitates oppositas, passivas & activas elementorum, & quidem, quæ secundum propriam formaliter-

ter quidditatem & substantiam inter se pugnant, ut apparet in ipsis elementis secundùm suum esse reale. Insuper videmus, quòd in mixtis inanimatis, præter qualitates primas elementorum insunt aliæ qualitates *activæ & passivæ*, multum superantes non solùm dignitatem materiæ, sed etiam elementorum, sic magnes attrahit ferrum.

XXVIII. Denique quando operatio alicuius substantiæ, puta elementaris, solùm exercetur per primas qualitates, calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, & in tali substantia non datur continentia oppositorũ, rectè arguimus quòd eiusmodi substantia, eiusque forma est ex genere suo parùm elevata supra materiam; quam in hoc transcendit, quòd nimirum habeat qualitates activas & passivas, & quidem in eadem parte subjecti, cùm tamen materia, quippe pura potentia, nullã habeat activitatem, neque debeantur ipsi plures qualitates in eadem parte subjecti. Apparet ergo ex diversâ elevatione & gradvatione substantiarum supra materiam, quòd homini, animalibus, plantis, mixtis inanimatis, atque demũ elementis insunt propriæ formæ substantiales.

XXIX. Demum per habitudinem ad causam finalem eadem veritas comprobatur. Et quidem si loquamur de causâ finali ultima, quæ est DEUS gloriosus, certè spectat ad ipsius magnitudinem & artem, ut substantiæ corporeæ habentes tantam heterogeneitatem in apparentijs, affectionibus, & operationi-

tionibus, habeant formas substantiales proprias, tanquam principia intrinseca & stabilia earundem proprietatum. Nam ars imperfecta & humana per solum motum localem, atque applicationem eorundem corporum, facit diversa artefacta; & quasi imponendo spectatoribus, conciliat sibi applausum; at ars divina dedignatur eiusmodi præstigias, & excellentias suas manifestat per apparentias reales in suis operationibus. Loquendo autem de fine proximo, est magis conspicua ratio. Ad cuius intelligentiam sciendum est, quòd elementa sunt proximè instituta ad bonum mixtorum, ut per eorũ attemperationem, mixtionem, atque corruptionem consurgat substantia & natura mixti. Sic ipsa mixta inanimata, & pariter elementa ordinantur intrinsecè ad bonum atque esse ipsorum viventium vegetativorum, ut nimirum ijs medijs generentur, nutriantur, crescant, & conserventur, ut oculis ipsis videmus contingere. Rursus elementa, mixta inanimata, atque vegetabilia ordinantur intrinsecè ad viventia sensitiva, tanquam alimentum ipsorum: sic enim videmus, quòd ipsa viventia sensitiva per operationes nutritionis, augmenti, & similes, trahunt in naturam suam ipsa viventia vegetabilia. Hæc omnia denique & præcipuè viventia sensitiva, intrinsecè ordinantur ad ipsum hominem seu vivens intellectivum, quod idcirco aliquid emolumenti trahit ex omnibus, & tanquã alimento utitur ipsis animalibus & plantis.

XXX. Hinc ergo stabilitur hoc principium, vid. quòd

quòd natura inferior subservit superiori, & mediante operatione generativâ & nutritivâ convertitur in naturam & substantiã superioris. Huic principio annectimus alterum ostensum *in 2. Phys.* puta, *impossibile est, ut aliqua natura manens completa substantialiter, uniatur substantialiter alteri naturæ pariter completa & adæquata, ita ut consurgat una per se natura completa.* Ex his duobus principijs infallibiliter infertur, quòd quando elementũ convertitur in mixtum, perit substantia & natura adæquata elementi, & generatur aliquid substantiale in ipso mixto: sic cùm natura mixti convertitur in vivens vegetativum, & hoc in sensitivum, & hoc demum in hominem. Et hæc ratio si bene penetretur, ex admissâ formâ substantiali in homine, probat efficaciter & formam substantialem, & generationem ac corruptionem substantialem in reliquis omnibus substantijs corporeis, ab homine usque ad elementa.

ARTIC. XII. THEOR. XII.

Illuminatio non est mera emissio corpusculorum à corpore lucente, sed fit productione qualitatis quæ est lumen.

XXXI. Demonstrationes tum à priori, tum à poster. huius theor. insinuantur à Phil. *2. de Anim. t. 70.* illis memorabilibus verbis: *non rectè dixit Empedocles, & siquis itidem senserit, lumen ferri atq; extendi tandẽ inter terrã & continens, nósque idipsum latere: hoc enim & rationis metas egreditur, & est præter ea, quæ apparent;*

rent; in parvo námque spatio motus fortasse lateret, sed ab ortu solis ad occasum tanti corporis motum latere, magna nimium postulatio est. Et huc usque Philos. & demonstratio quidem à poster. innititur huic principio, contento verbis allatis, loquendo de obiecto per se attingibili à sensu; *quoties omnes penitùs sensus, vel aliquis sensus universali & uniformi experientiâ aliquid docet, intantum, ut nec per aliquam eiusdem, vel alterius sensûs experientiam, adeoq; neque per rationem evidentem intellectus sensum corrigentis, deprehendere possumus oppositum, debemus dicere ita rem esse.* Et hoc est fundamentum totius Physicæ. Huic subiungimus min. concessam ab ipsis Atomistis, videl. motus localis in propagatione lucis, atque successio illius, contrariatur universali, & uniformi experientiæ omnium sensuum, & præcipuè ipsius visûs, ita ut per nullam operationem alicuius sensûs reflexionémve advertere possimus, quin propagatio luminis sit instantanea; ergo impossibile est, quod lumen sit corpus, & quod illuminatio sit emissio corpusculorum, quandoquidem omnis motus localis debet fieri in tempore, ut demonstratum est 4. Phys.

XXXII. Confirmatur hoc argumentum, & simul retorquetur instantia Adversar. & quoniam propagatio successiva soni non fit instantaneè, sed in tempore, idcirco per sensum visûs deprehenditur eiusmodi successio, quandoquidem prius videmus flammam, quám audiamus sonum bombardæ explosæ; imò per ipsum sensum auditûs deprehenditur eius-

eiusmodi successio, quia experimur nos prius emittere vocem, quàm reflectatur ad nos, in reflexione echûs; ergo si propagatio luminis fieret successivè per sensum ipsius visûs, aut alium sensum posset deprehendi, maximè in reflexione lucis, cuius tamen contrarium est manifestum experientiâ. Adde, quòd eiusmodi motus localis luminis à sole, & maximè à firmamento ad nos, esset incomparabiliter majoris velocitatis, quã motus primiMobilis; quòd tamen videtur absurdum: cum primum Mobile, cuius motus cadit sub mensuram, propter suam pernicitatẽ, sit subjectum & mensura temporis: ut dictum est 4. phys.

XXXIII. Demonstratio à priori innititur huic principio desumpto ex 9. *meta. t. 3.* videlicet. *Natura est determinata ad unum, & quidem ad optimũ.* Nam, ut ait phil. loc. cit. potentia quidem rationalis, quippe simul cognoscitiva & contentiva contrariorum, est contingens ad utrumlibet: at potentia irrationalis, est determinata ad optimum, quippe quòd sequatur ad amussim impetum sibi impressum ab Auctore naturæ. Et hoc effatum evidens est universali induct. nemo enim, nisi insanus timet, ne lapides sursum volent, aut ne ignis frigefaciat, quemadmodum timere potest, ne ipsi gratiam sit facturus Superior. Huic principio subjungimus hanc minor. evidentem: lumen est agens merè naturale, & non præditum libertate & ratione; ergo implicat ut sit indeterminatum ad motum localẽ, versus omnem

posi-

positionis differentiam, & multò minùs ut discedat à loco suo naturali & centro, in quo quiescit: at juxta Adversarios lumen est corpus & locus naturalis ipsius est sol, & tamē movetur ad omnē locum, & positionem, quandoquidem illa mutatio fit per omnem viam; ergo sententia Adversf. de corporeitate luminis est manifestè falsa, & consequenter lumen est qualitas, quæ productione physicâ propagatur instantaneè, quia non habet contrarium, & quidem propagatur ad omnem positionem, quia agens luminosum, sicut & omne agens, vult assimilare sibi suum passum, ubicūnque potest, atque ad omnem positionis differentiam.

XXXIV. Confirmantur hæc omnia à varijs absurdis oppositæ sententiæ, quæ breviter sic insinuantur. Si enim lumen est corpus, quomodo quæcunque corpora, quantumcûmque densa, modò sint diaphana, infallibiliter penetrat? cùm tamen penetratio corporum sit impossibilis. Et licet omnia plena essent sparsis vacuitatibus, aut poris, fluido & subtili corpore repletis, quomodo ita eis semper applicatur, ut inveniat vacuitates præparatas in directum, quibus sine obsistentiâ atque sine deflexu sese insinuet, & nunquam ex fortuito occursu aliorum corporum mutet leges directionum, reflexionum, & refractionum, quas tam diligenter & constanter in omnibus casibus observat.

XXXV. Secundum absurdum est: si lumen est corpus diffusum per totum medium, atque adeò per

se

se subsistens, sine dependentiâ continuâ ab ipso corpore luminoso, quomodo desinente lucido statim concidit atq; evanescit per integrũ hemisphærium? Rursus, si manet, sicut Adversar. concedunt, cur non percipitur ab oculo? neque enim sufficit dicere cum Der-kennis, quòd effluvium luminosum non percipitur, nisi urgeatur à continuatione ipsius, sicut ascensus aquæ ex fonte indiget continuato effluxu atque ascensu alterius aquæ: aut cum Cartesio, quòd nimirum, quando desinit lucidum effluviũ corporum lucidorum, manet quidem per medium usque ad ipsum oculum, quod tamen, ut percipiatur, debet eò intrudi per ipsum lucidum, dum novo effluvio promovet, atque urget præcedens: hæc utráque, inquã, responsio est insufficiens; quandoquidẽ potest ejusmodi effluvium corpusculorum luminosorum ulterius promoveri, à quocúmque alio corpore præter lucidum, quod habeat vim localiter promovendi & urgendi. Denique, si lumẽ est perpetuum effluvium ex substantiâ ipsius corporis lucidi, puta solis, cùm omne corpus finitum, per finitas absumptiones atque extractiones, tandẽ exhauriatur; sequitur quòd & sol, & corpora cœlestia, & consequenter tota machina mundi, sint reditura in antiquum chaos, ut consequenter concesserunt Antiquiores Atomistæ.

(o)

ARTIC. XIII. THEOR. XIII.

Calor, frigus, & alia communiter reputata qualitates, non sunt corpuscula, sed vera qualitates.

XXXVI. Probatio 1. deducitur ex dictis in 11. theor. si enim (ut ibi ostensum est) producuntur de novo formæ substantiales elementorum, consequenter ipsa elementa sunt generabilia & corruptibilia, sequitur, quòd cùm evidenti experientiâ pateat, agens naturale non generare ignem vel aquam, aliudve elementum, nisi præcedente proportionatâ dispositione per calorem, frigus, similésque qualitates, utique manifestum relinquitur, quòd eiusmodi dispositiones non sunt corpora distincta, & contigua ipsis elementis, sed sunt accidentia formaliter disponentia ipsam materiam ad formam substantialem elementi generandi. Evidens enim est, quòd lapis E. g. seu materia ipsius non redditur idonea & ultimò disposita ad recipiendam formam ignis per hoc, quòd juxta ponatur localiter vel ignis, vel aliud aliquod corpus.

XXXVII. Probatio 2. & quidem à priori, est eadem, quæ allata est pro naturâ luminis. Nam experimur pariformiter, quòd agentia calida & frigida propagant calorem & frigus in omnem positionis differentiam. Quod confirm. quoniam ab agente, quantumvis exiguo, calido vel frigido, propagatur calor & frigus in immensam propemodum sphæram: quod argumentum visum est adeò efficax

Gale-

Galeno, quamvis minimè metaphysico, & nostris partibus parùm æquo, ut in lib. 5. de seminib. c. 16. dicat, eiusmodi propagationem fieri per productionem qualitatis. Nam, ait, juxta eandem denique rationem minutissimus liquor ex his, quæ venenosa appellantur, animalis corpori illapsus, totum animalis corpus brevissimo tempore transmutat, ac suæ naturæ similem reddit, quin ut sanetur per auxiliaria medicamenta, alexipharmaca à Græcis appellata, contingit, quæ similiter totum corpus alterant, alteratione venenosis contraria: non substantiâ ipsorum in totum animalis corpus penetrante; neque enim possibile est modicum adeò liquornm brevissimo tempore corporis molem, aliquando maximam, explere, sed qualitatis distributione &c. ut videre est in ipso Galen. quem non permovit adeò jactata ab Atomistis observatio Snellij, quòd granum pulveris nitrati inflammatum in explosione bombardæ ita rarescat, ut acquirat amplitudinem, quæ sit in proportione ad præcedentem, sicut centum viginti quinque millia ad unum: præterquam quòd in hac ipsa experientiâ Snel. supponunt Advers. non generari de novo ignem: quòd & est in quæst. & negatur à Peripateticis.

XXXVIII. Probatio 3. dependet ex præced. theor. quandoquidē enim lumen est accidens, & diffunditur productione qualitatis, utique in aquâ purâ, cùm successivè producat calorem, erit calor qualitas, & non corpuscula lucida, ut comminiscuntur

Adverſ. lumen enim valde intenſum conſiſtit in eodem ſubjecto cum frigore valde intenſo, & calorem producit ſucceſſivè, ut experientiâ patet, dum per amphoram frigidiſſimâ repletam traijcitur ſolis lumen vividiſſimum: nam & per multum temporis non agnoſcitur mutatio ſenſibilis frigoris in aquâ, quæ deinde percipitur.

XXXIX. His rationibus concinit alia experientia in calefactione aquæ igni ſuperpoſitæ: aiunt enim Adverſ. quòd aqua calefit per corpuſcula ignea, per lebetem tranſpirantia, & ſeſe immiſcentia aquæ. Vnde irrident unicum ferè & commune argumentũ, quo hactenus probabatur forma ſubſtantialis, ductum ex eo, quòd aqua remota ab igne ſtatim frigefiat; principium autem talis reductionis non videtur poſſe eſſe aliud, quàm forma ſubſtantialis aquæ: dicunt enim Atomiſtæ, quòd aqua idcirco frigeſit, quia corpuſcula ignea paulatim evolant, & alia non ſuggeruntur ab igne: ſed hic modus explicandi calefactionem & frigefactionem videtur contrarius experientiæ: nam cùm particulæ igneæ naturaliter ferantur ſurſum, ſequitur quòd ex parte inferiore aquæ paulatim aſcendentes ad partem ſuperiorem, eam redderent calidam, dum pars inferior remaneret frigida, & conſequenter etiam refrigeratio totius aquæ non eſſet ſimultanea, contrà quàm videmus contingere.

XL. Concinit pariter his iiſdem rationibus & veritati myſterium SS. Euchariſtiæ. Nam ex verbis

Flo-

Florent. & Tridentini constat, quòd remanent species panis & vini, pereunte tota substantiâ utriúsque; atqui ad sensum patet remanere colorem, calorem, frigus, siccitatem, quantitatem &c. ergo manifestum est eiusmodi species sive accidentia realiter distingui ab omni corpusculo, atque esse veras qualitates. Neque enim admitti potest quorundam Atomistarum interpretatio dicentium, nomine accidentium panis & vini, intelligi ea corpuscula immixta in poris, vel adhærentia, quæ non constituunt essentiam panis; sicuti vestes, quamvis sint corpora, dicuntur tamen accidentia hominis, quia ita conjunguntur cum homine, ut non pertineant ad eius notionem & entitatem: hæc, inquã, evasio non potest subsistere, quandoquidem juxta ipsos Atomistas substantia panis & vini sunt corpuscula certo quodam modo vellicantia tactum, cùm tanguntur; palatum, dum comeduntur: atqui eiusmodi corpuscula per Adversi. remanent post consecrationem. Ergo remanet substantia panis & vini, quod est hæreticum.

ARTIC. XIV. THEOR. XIV.

Ignis & aqua, & omnia consequenter corpuscula inferiora, sunt composita ex materiâ & formâ, atque adeò falsa est sententia opinantium non dari materiam primam, sed materiam primam omnium rerum esse vel omnia, vel aliquod ex elementis, aliúdve genus substantia corporea completa.

XLI. Totum hoc theor. iam ostensum est in 11.

Accedit autem & alia probatio fundata tum in veritate præced. theor. tum in principio jacto à Phil. 8. phyſ. & 1. de Ortu & inter. videl. *ubi datur alteratio propriè inter qualitates contrarias & activas, ibi datur generatio ſubſtantialis.* Quod effatum prob. 1. quoniam omne agens intendit facere effectum ſibi ſimilem, quare ſi ignis calefacit aquam, talem alterationem calefactivam intendet & diriget ad aſſimilandam ſibi perfectè aquam, & conſequenter ad inducendam formam ſubſtantialem ignis: in naturâ enim non dantur media ordinata ad fines chymæricos, ſed poſſibiles: neque agentia naturalia conantur producere chymæram: ubi ergo eſt poſſibilis alteratio deſcripta, ibi erit poſſibilis generatio, & conſequenter corruptio ſubſtantialis. 2. quia cùm omnis ſubſtantia, præſertim corporea, ſit propter ſuam operationem, & operetur medijs potentijs & qualitatibus, puta ignis medio calore, aqua medio frigore &c. inde fit, ut quæcúnque ſubſtantia corporea poteſt dimoveri à ſuis proprijs qualitatibus operativis & paſſivis per inductionem qualitatum contrariarum, utíque poterit dimoveri ſimpliciter à ſuo eſſe; & ſic animal E. g. quia poteſt dimoveri à ſuâ temperie atque combinatione debitá primarũ qualitatum, per calorem febrilem, aliámque diſpoſitionem morbidam, ideo poteſt moveri & diſponi ad mortem: ſic plantæ per hoc, quòd nimis caleſiant aut frigeſiant, moventur ac diſponuntur ad exſiccationem, hoc eſt, ad mortem plantarum. Cùm

ergo

ergo omnes substantiæ elementares sint mobiles & alterabiles per qualitates primas contrarias, ut ostensũ est præced. theor. sequitur juxta principium 2. modo stabilitum, quòd sint obnoxia generationi & corruptioni, & consequenter, quòd sint composita ex materiâ & forma.

XLII. Hæc ipsa veritas confirm. in igne, ex modo, quo producitur: quando pulvis tormentarius incenditur à scintillulâ, & summo impetu elevat moles ingentes, talis, inquam, ignis videtur de novo produci: nam si juxta sententiam Atomistarum totus ille ignis latuisset in granulis pulveris, utique etiam antecedenter erumperet, dilataret se, & eosdem præstaret effectus: & quamvis dicatur, quòd cuspides igneæ vel antea non fuerint collectæ, vel cum cuspidibus inversis, & non bene situatis ad ascensum, nihil hoc suffragatur; quandoquidem & per motum localem ipsius pulveris nitrici obtinetur situs contrarius: & præterea sicut se habet virtus collecta omnium corpusculorum igneorum ad totam molem pulveris & resistentiam, ita etiam virtus dispersa se habebit ad resistentiám dispersam: quamobrem videtur, quòd in toto pulvere producitur à scintillulâ forma substantialis ignis, ad quem consequitur vehemens calor, raritas & ascensũs sursum, præsertim cùm videamus, quòd quantumvis calefiat pulvis nitricus ab alio aliquo agente, non acquirit eiusmodi raritatem & vim motivam localem: & tamen experientiâ compertum est, quòd faci-

ciliùs & citiùs paſſum perducitur ad mediocrem calorem ab agente mediocriter calido, quàm ad calorem ſummum ab agente ſummè calido: ſic aqua frigida faciliùs & citiùs ab agente tepido fit tepida, quàm ab agente calidiſſimo fit calidiſſima; ergo ſignum eſt manifeſtum, quòd ſcintilla non ſolum calefacit pulverem, ſed tranſmutat illum in ignem, & pulvis tranſmutatus momento temporis per naturam & formam ignis producit in ſe ſummam lucem, & ſummum calorem. Vnde colligitur, quòd cùm omnia alia corpora ſint ignobilia atque obnoxia alterationibus caloris, frigoris & ſimilibus, propterea neceſſe eſt ea omnia componi ex materiâ & formâ; & per conſequens vera eſt integra aſſertio poſita.

ARTIC. XV. THEOR. XV.

Modus philoſophandi Atomiſtarum diſponit ad neganda omnia ſpiritualia, & Angelos &c. Item ad negandam immortalitatem animæ, & denique eſt recta via ad Atheiſmum circa exiſtentiam Dei, eiúſque providentiam.

XLIII. Hoc totum theor. abundè patet ex præcedentibus. Ad altiorem tamen ipſius evidentiam detegenda eſt radix, unde decepti ſunt Adverſarij: quemadmodum enim inter homines aliqui vivunt ſecundùm carnem, & accedentes ad naturam brutalem; alij verò ſecundum ſpiritum, accedentes pro conditione naturæ ad ſimilitudinem vitæ

ange-

angelicæ; ita etiam in philoſophando alij philoſophantur quaſi carnaliter, ſequentes præcisè ductum ſensûs, alij autem philoſophantur ſpiritualiter, ſequentes ductum intellectûs. Et quidem meritò, cùm enim intellectus ſit prima potentia, atque adeò menſura prima veritatis, cui ſubordinatur & ſubſervit ſenſus, utique ſtultum eſt imaginari, quòd Natura voluerit decipere noſtrum intellectum, non autem ſenſum; præſertim cum ſcientia acquiratur per abſtractionem â materia, atque elevationem à circumſtantijs ſenſibilibus & individualibus: quia verò homines plerique ſunt aſſueti à pueritiâ, ut ſenſus & imaginatio dominetur ſuper intellectu, ſicut etiam ut appetitus ſenſitivus, ſive carnalis homo dominetur appetitui ſpirituali, atque homini interiori, inde fit, ut multi ſint proni ad inhærendum ſtabiliter ſoli ductui ſenſus, ſpreto intellectu, & omnem veritatem atque ſcientiam præcisè collocent in unâ renuntiatione ſensûs, nihil credenets, præter ſenſibilia atque imaginabilia.

LIV. Rurſus, cùm ſenſus non ſit perceptivus niſi cauſæ materialis, & proportionis cuiuſdam ſive ordinis inter ipſa ſenſibilia atque materialia; præcipuè quoad motum localem, ordinem & ſitum, hinc eſt, ut eiuſmodi philoſophi nunquam intendant in conſiderationem cauſæ Efficientis & Finalis, ſed præcisè cauſæ materialis, & ordinis atque proportionis ſenſibilis & ſitualis; & ex neglectu præcipuarum cauſarum. Efficientis puta & finalis, orti ſunt plerique

errores Antiquorum, ut sæpius notat phil. & præsertim 2. phys. Hinc rursus fit, ut intellectus ipsorum ita depressus sub servitute sensûs & imaginationis non facilè possit assurgere supra eas potentias materiales, & consequenter assuetus salvare effectus mirabiles per causas penitùs improportionatas, puta, quòd leo phantasticetur, recordetur, &c. per hoc, quod corpuscula prorsus inepta, & ex se nec vitam habentia collocentur, & juxta ponantur, fit dispositus ad omnes penitùs effectus tribuendos causis improportionatis, consequenter ad asserendum sublimissimas operationes hominis proficisci à quadam complexione & harmoniâ variorum corpusculorum, negatâ penitùs anima immateriali, & immortali, ut canit Lucret. atq; ad admirabiles effectus totius universi revocandos in meram congeriem corpusculorum, sine existentiâ aut assistentiâ ullius supremi Numinis, ut volebant Epicuræi, ex quibus progenerati sunt Atheistæ: vnde Lucret. de Deo ait:

Nec bene promeritis capitur, neq; tangitur irâ.

Vnde patet, quòd modus philosophandi Atomistarũ est perversus, carnalis, & atheisticus.

XLV. Sed quia omnis error insignium Philosophorum continere solet aliquid veri, cuius specie decipiuntur homines, & deducuntur ad falsa; ita in præsenti contingit. Verum quippe aliquatenus est omnem ferè alterationem fieri cum motu locali. 1. quia ferè semper fit cum aliquâ condensatione, vel rarefactione, in quâ intervenit motus localis: vnde Ari-

Aristot. retinens antiquas notiones nominum desumptas ab effectibus manifestissimis, explicat primas qualitates, imò & albedinem, nigredinem, aliásque multas in ordine ad motum localem, ut manifestum est recolenti eiusmodi descriptiones ex phil. Nec est omittendum, omnium alterationem ferè ordinari ad locum & figuram, ut nimirum ipsæ substantiæ corporeæ, obtentis locis naturalibus, bene se habeant quoad suum esse, conservari & operari.

XLVI. Rursus verum est corpora maximè alterantia, veluti ignis est, esse illa, quæ immittunt innumeras particulas intimè pervadentes totum passum; sic enim fit perfectior approximatio ad alterationem prærequisita, atque etiam ad consequentem generationem. Atomistæ autem in hoc sunt decepti, quod ea, quæ sunt conjuncta, opinati sunt esse idem: difficile enim est discernere semper ea, quæ sunt conjuncta & indivisa ab ijs, quæ sunt eadē & indistincta; ut profundè docet philos. in 7. met.

XLVII. Ex hucusq; dictis evidenter colligitur declinantes esse eos AA. qui assumentes Vniversum habere in suâ constitutione parem unitatem & proportionatum principium intrinsecum unitatis & fœderis, ac habeat quælibet substantia particularis, puta, homo, leo, planta &c. deinde subiungentes majori propositioni communi, minores veras, deduxerunt conclusiones extremè contrarias. Nam aliqui cum Atomistis, subsumentes in toto Vniverso non dari unam formam substantialem, hanc eandem pari-

pariter abrogârunt substantijs particularibus. At alij asserentes formam substantialem, præcipuè in viventibus, eandem attribuerunt toti universo: unde rursus horum aliqui dixerunt Deum esse animam Mundi, ut refert Aug. in de Civit. & ideo dixerunt omnia esse plena dijs, & hinc ortum habuit Idololatria, tribuens cultum omnibus partibus vniversi. Hinc insuper ortus est error Manichæ. opinantium omnia bona esse particulas divinitatis usquequáque diffusas. Hic autem error est intolerabilis, cùm ostensum sit in 8.phys. Deum esse simplicissimũ, actum purum, & consequenter non habere partes, neque rationem formæ perficientis subjectum. Alij cum Avicen. existimârunt animam Mundi esse quandam Intelligentiam informativã ipsius: sed universaliter dico, impossibile esse, ut totum universum habeat unam per se formam sive animam, sed coalescit ex diversis & adæquatè distinctis substantijs habentibus unitatem ordinis, relatè ad unum primum Gubernatorem & Motorem. Ratio autem à priori est, quia evidens est, quòd partes in omni toto ordinantur intrinsecè ad bonum ipsius totius, atque ad formam dominantem in toto; ergo si in toto universo daretur unitas per se, proveniens ab unâ eadémque forma substantiali intrinsecâ, utique omnes partes universi, atque adeò homines & Angeli intrinsecè subordinarentur atq; servirent ad bonum ipsius totius, & ad emolumentum formæ totius; ut consequenter dicebat ad sua principia Avicen. ponens om-

ner

mnes partes universi intrinsecè ordinari ad Intelligentiam, quæ est anima Mundi, tanquam ad finem suum: atqui evidens est nullam substantiam intellectivam posse ex naturâ rei esse intrinsecè ordinatam ad utilitatẽ & emolumentum alterius substantiæ cuiuscúnque creatæ; quandoquidem omnis substantia intellectiva est gratiâ sui, & tanquam capax propriæ & perpetuæ felicitatis, per se amatur à Causa prima. Quo spectat illud Salvatoris: *quid prodest homini si universum Mundum lucretur, animæ verò sua detrimentum patiatur*. Quare opinari dari unam formam substantialem intrinsecam universi, quæ sit anima Mundi, est error proveniens ex ignorantiâ dignitatis substantiarum intellectualium. Ratio autem à poster. quare debeat poni forma substantialis intrinseca in unaquáque substantiâ per se una, puta, in homine, plantis &c. non autem in toto universo, habetur inde, quia in partibus Mundi non videmus modò fœdus, modò dissolutionem fœderis, sicut in partibus viventium & mixtorum contingit; ergo non est opus recurrere ad aliquam formam, ex cuius præsentiâ vel recessu hæc vicissitudo contingat, sed satis est ponere partes Mundi cum talibus inclinationibus particularibus, ut inde resultet perpetuum hoc fœdus universale, ex eo, quòd propter naturam materiæ corruptio unius sit generatio alterius. Et quidem æquum est in particularibus substantijs ponere formas substantiales intrinsecas, quandoquidem corruptio & generatio, conservatio
&

& diſſolutio eiuſmodi ſubſtantiarum debet revocari ad præſidium alicuius principij particularis ac defectibilis, ex cuius defectu poſſit tale fœdus diſſolvi: quod præſidium, quia ſe habet in unoquóque compoſito particulari quadantenus, ſicut ſe habet Deus in univerſo, ideo phil. formam ſubſtantialem vocat aliquid divinum. Vno verbo, Deus tanquam ſupremus Monarcha immediatè regit totum univerſum, tanquam ſuum regnum, & omnes ſubſtantias particulares regit medijs formis ſubſtantialibus intrinſecis, ſicut totidem Gubernatoribus civitatum.

Ad argumentum in oppoſitum patet ex dictis.

QVÆSTIO II. IN TERTIVM DE ANIMA.

Vtrum de futuro contingenti impoſſibile ſit dari determinatam veritatem, & an hac admiſſa poſſit eſſe extra Deum?

ARTICVLVS I.

Proponuntur argumenta & reſolvitur quæſtio.

I.

Videtur quod ſic 1. quia eſt expreſſa opinio philoſ. 1. Periher. c. 6. & ratio ipſius viſa eſt demonſtrativa penitùs Aureolo in 1. diſt. 38. a. 3. ſic autem procedit. ea veritas, quæ eſt inimpedibilis à voluntate humanâ, & incompoſſibilis cum alterutrâ parre contradictionis, evidenter interimit libertatem humanam, ut patet ex approbatiſſimâ defini-

tione

tione Almaini, quâ definit potentiam liberam, *quæ positis omnibus prærequisitis potest agere & non agere:* sed veritas determinata de futuro contingenti, puta de peccato crastino Petri,& est incompossibilis cum exercitio voluntario exclusivo peccati, ut patet ex terminis, & est inimpedibilis à voluntate Petri; ergo eiusmodi determinata veritas tollit libertatē, quod est evidenter absurdum. min. probatur. quia eiusmodi veritas semel posita est essentialiter æterna, atque adeò non solo tempore, sed totâ æternitate antecedit ipsum futurum; quod autem ita antecedit aliud, est inimpedibile ab ipso.

II. Confirmatur.hæc hypothetica,*si datur determinata veritas, sive præscientia divina, non datur humana libertas*,fuit passim ab Antiquis recepta. Vnde Tullius lib. 2. de divinat. subjungens minorem evidenter veram, *sed datur libertas humana*, intulit non posse vel in Deo, vel in homine dari præscientiam determinatam de futuro contingenti, ideóque dum vult homines facere liberos, facit sacrilegos, ut loquitur August. 5. de Civit. Dei, c. 9. At stoici eidem majori supponentes hanc minorem, *sed datur præscientia divina*, concluserunt omnia fatali necessitate fieri; ac proinde usurpabant illos homericos versus: *tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse Iupiter auctiferas lustravit lumine terras.*

III. 2. Et est ratio magis immediata,& à priori: determinatio enuntiationis ad veritatem est posterior, aut saltem non prior naturâ suâ,determinatio-

ne ipsius objecti, quoad suam actualitatam & esse secundum se, juxta indubitatum effatum phil, tum in 1. periher: tum in lib. prædicament. *ex eo quod res est, vel non est, oratio est vera. vel falsa &c.* ergo implicat contradictionē intelligere eiusmodi determinationē derivari in enuntiationem pro ea differentia temporis, pro qua in objecto est omnimoda indeterminatio atque contingentia ad utrumlibet. atqui in futuro contingenti, totâque causâ ipsius pro toto tempore, pro quo est futurum, est omnimoda indeterminatio & contingentia ad utrumlibet, ut patet ex notione causæ liberæ; ergo implicat intelligere determinationem veritatis in tali enuntiatione. Confirmatur. quia de ratione contingentis est, ut prima determinatio sui ad suum esse sit sua ipsius existentia, & in hoc distinguitur ab effectu necessario, ad cuius existentiam potest præexistere determinatio necessariò connexa, atque illativa ipsius. Ergo determinata veritas de futuro contingenti, repugnat conceptui quidditativo ipsius.

IV. 3. Admissâ autem eiusmodi veritate determinatâ de futuro contingenti, videtur ea asserenda extra Deum, atque descripta in cœlis, syderúmque motibus, & varijs aspectibus tanquam in libris, juxta illud Esai. 34. *complicabuntur sicut liber cœli*, & quia post diem judicij divinatrix scientia, cœlestiúmque notarum inspectio locum non habebit, ideo Apo. 6. habetur, *cœlum recessit sicut liber involutus & clausus.* nimirum Deus nobis per huius vitæ ænigmata caligan-

gantibus, addidit astra, quæ fuisse cœlo infixa, Vt essent signa, docetur 1. genes. ad huius autẽ argumenti penitiorẽ intelligentiã sciendum est, quod tripliciter potest affingi sideribus determinata veritas futurorũ contingentium. 1. ita ut sidera habeant influxum directum in intellectum & voluntatem. 2. ita ut tantũ indirectè influant, propter Connexionẽ videl: potentiarum immaterialium cum materialibus & organicis, in quas directè influunt. 3. demum, ut sidera significent futura, neque tanquam causa directè aut indirectè influens, sed tanquam signum rem significatam, juxta divinæ providentiæ dispositionem. Primus modus est manifestè impossibilis, non solùm quia tollit libertatẽ, sed etiam quia animam humanam collocat inter substantias materiales, & caducas, dum eam subijcit directo & immediato influxui siderum; unde Antiqui naturales, ut Democritus, Empedocles, & huiusmodi, ponentes intellectum non differre à sensu, ut patet *4. metaph.* & *3. de anima t. 150.* dixerunt communiter quod cùm transmutatio inferiorum corporum sequatur transmutationem corporum superiorum, intellectualis etiam operatio, & voluntatis actus sequentur transmutationem superiorum corporum. Et hinc fluxit opinio Stoicorum arbitrantium intellectuales notiones nobis imprimi ex impressione corporũ cœlestium, & voluntates humanas necessitate quâdam fatali agi, ut refert Boët. *in 5. de consolat.* secundus etiam modus, licet quantum ad activitatem indirectam si-

derum in animam rationalem, eiúsque potentias inorganicas, verus sit, tamen per hoc non videtur salvare sufficienter, quòd Astrologia mereatur computari inter artes etiam conjecturales, quales sunt Prudentia Politica, Militaris, Agricultura &c. quandoquidem enim multa in inferioribus corporibus mutantur immediatè à voluntate tum divinâ, tum humaná, & præter, imò contra inclinationem à corporibus cœlestibus impressam: ex hac autem varietate accidentali tum materiæ, tum circumstantiarū illata à principio mundi hucúsque contra inclinationem & influentias cœlestium corporum, consequitur tanta diversitas in his inferioribus, quantam unusquisque per se existimare poterit, si animadvertat, quòd sæpe ex unâ levissimâ actione pendent per omnem sæculorum seriem ingentes mutationes tum physicæ, tum morales in toto terrarum orbe. Quare non videtur hæc vis indirectè influendi in voluntatem humanam, salvare probabilitatem artis astrologiæ. Quamobrem cùm referantur prædictiones Astrologorum in tanto numero, ut non videantur omnino esse fortuitæ, sed potius factæ secundum regulas artis (ut videre est in Centiloquio Ptolomæi, ubi inquit, *si Mercurius in alicuius nativitate fuerit in aliqua domorum Saturni, & ipse fortis in suo esse, dat bonitatem intelligentiæ medullitùs in rebus*, & similes passim regulæ apud Astrologos statuuntur) & nequeant sufficienter sustineri ex inclinatione indirectâ per efficaciam stellarum inductâ, ut osten-
sum

ſum eſt, relinquitur dicendum ſecundùm poſtremum modum, quòd nimirum determinata veritas & divinatio futurorum reſidet in ſtellis, tanquam in puro ſigno. Ex eo nimirum, quòd DEVS prævidit, quid plerúmq; & ſecundùm probabilem diſpoſitionem ex parte actûs primi contingere debeat hominibus naſcentibus tali temperie, & tali loco, ſi conſtitutio cœli ab initio creationis mundi fieret hoc vel illo modo, ideo ad oſtendendam ſuam artem & prudentiam, quam in omnibus ſuis effectibus mirificè ſtudet patefacere, voluit inter infinitas complexiones ſibi poſſibiles aſtrorum eligere aliquam, quæ ſimul eſſet proportionata ad finem Vniverſi, & ſimul eſſet ita compoſita, ut conſtitueret quandam artem conjecturalem, per quam ſaltem probabiliter, & in pluribus, & non merè caſualiter prævideretur quænã fortuna, & quinã univerſales eventus imminerent huic, vel illi homini naſcenti hîc & nunc.

V. Et hic modus philoſophandi confirmatur ulterius, quia ex illo primò conſequitur optimè ſalvari libertatem noſtram, propterea quòd licet non ſit in meâ poteſtate, quin plerúmque ſint vera ſigna illa, quæ Deus poſuit in cœlo humanorum eventuũ, eſt tamen in meâ poteſtate, quin ego ſim unus ex illis, in quibus verificantur. Conſequitur 2. excludi opinionem negantium Deo omnem providentiam, & præſcientiam futuri contingentis, adeóque ponentium omnia contingentia eſſe merè fortuita reſpectu cuiuslibet cauſæ; Imò aſtruitur tam ſuavis

 pro-

providentia, per quam homines ita admoneantur, de malis & bonis unicuiq; imminentibus, ut possint per cautionem & industriam altera cavere, altera prosequi. Consequitur 3. quòd cùm hæc ars divinandi resideat in stellis, non propter physicam earum activitatem, sed ex eo, quòd Deus prævidit ex vi aliarum causarum inferiorum, quòd multi, qui nascerentur sub tali astro, etiam factâ in cœteris quâcunque mutatione, deberent habere periculum talium calamitatum, vel habere facilitatem ad tales proprietates, idcirco huic modo philosophandi non obstat, quòd nimirũ idem planè aspectus cœli nunquam recurrat, & quòd in domibus ipsis facta est tam magna variatio propter motum proprium versus Orientem, in ipso firmamento deprehensum ab Hipparcho, ut sol, quo tempore dicitur esse in Ariete, sit pœnè totus in Tauro, Quorum tamen utrumque, sicut & alia multa apud Picum validè redarguunt Astrologos, communiter suas regulas ad inductionem factam ab Arabibus, & Ægyptijs usque ad hoc tempus reducentes.

VI. Confirmatur, quia homines communiter judicant de veritate futuri, nullâ factâ mentione de Deo, aut de divinâ scientiâ, quare si admittenda sit veritas determinata de futuro contingenti, concedenda est extra Deum. Quod etiam suadetur ex duplici alio motivo. Et 1. quidem quoniam in prophetijs, & revelationibus ea non videtur neganda. 2. quia cùm veritas videatur perfectio & assensus veri,

veri, atque ipsius intellectûs assentientis, debet ea esse creata, & quidem intrinseca utrique.

VII. Sed contra est, quia Deum certissimè & perfectissimè cognoscere ab æterno futura contingentia patet ex 39. *Eccli. Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis eius, à sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius.* Et ratio redditur ibidem, *oculi domini multò plùs lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Huc etiam pertinent revelationes omnes, & prophetiæ, præscientia námque Dei (ut dicit Tertull. *lib. 2. contra Marcum c. 5.*) tot habet testes, quot fecit prophetas.

Resp. dicendum, de futuro contingenti dari determinatam veritatem, eámque non posse ex naturâ rei collocari extra Deum. Et quoniam hæc quæstio celeberrima est, & propter seipsam, & propter authoritatem philosophi, qui eam operosè discutit, propterea nos consistentes intra limites luminis naturalis, conabimur illius determinationem ex primis fundamentis per aliqua theoremata deducere.

ARTIC. II. THEOR. I.

Videtur manifestè impossibile, ut aliqua denominatio verificetur pro aliquo instanti, aut pro aliqua differentiâ temporis, quin pro eadem existat in se realiter & actualiter ultima actualitas talis denominationis.

VIII. Ad evidentiam huius theorematis sciendum

dum est, quòd nomine ultimæ actualitatis alicuius denominationis intelligitur id, quo primò & per se formaliter determinatur talis denominatio,& excluditur formaliter perfecta & adæquata indifferentia ad non esse talis denominationis,ut v. g. in denominatione *album*,unio albedinis cũ pariete est ultima actualitas;cùm tam paries quàm albedo, imò & complexum ex utróque possit existere, quin detur determinatio formalis ad denominationem *albi*, aut quin excludatur adæquata & perfecta indifferentia ad esse illius; at per hoc, quòd intelligatur advenire unio, primò & per se ponitur præfata determinatio, & excluditur perfecta indifferentia. Præmissâ hâc notione vocabuli, ita procedit demonstratio, Implicat evidentem contradictionem, ut pro eadem differentiâ temporis, pro quâ aliqua denominatio est determinatè vera, adeóque incompossibilis cum falsitate, detur,aut intelligatur dari actu quicquid requiritur ad constitutionẽ adæquatæ & omnimodæ indifferentiæ, ad hoc ut illa eadem denominatio determinatè verificetur;ergo evidens est,debere pro eâ differentia temporis intelligi exclusam ab actuali existentiâ, eiusmodi indifferentiam adæquatam; ergo evidens est debere actu dari id, per cuius existentiam primò & per se excluditur contradictoriè, seu quasi contradictoriè, eiusmodi indifferentia, sive (quod in idem recidit) per cuius existentiam verificatur propositio negativa eiusmodi indifferentiæ. Cùm ergo ex præmissis ultima actualitas sit id, quo primò & per se de-

ter-

terminatur ipsa denominatio, & excluditur formaliter adæquata indifferentia, evidens est non posse aliquam denominationem verificari pro aliquo instanti, quin pro eodem existat in se realiter & actualiter ultima actualitas, quod erat demonstrandum.

IX. Et quidem hæc demonstratio est adeo perspicua & efficax, ut vel mediocris intelligentia eiusdem, facilè difflet omnes dubitatiunculas & responsiunculas, quæ hic fingi possint, ideoque in ijs afferendis & refellendis non est operæ pretium immorari. Obiter tantum est indigitanda responsio, quâ quis possit reponere, ultimam actualitatem exclusivam primò & per se formaliter adæquatæ indifferentiæ debere quidem existere in statu quodam obiectivo, sive logico, non verò in statu reali & actuali. Sed hæc responsio adversatur primo principio: evidens enim est iuxta primum principium, quòd quando aliqua res contingenter deficit, sive excluditur, debet dari actu & realiter exclusio atque defectus illius, & nisi detur actu eiusmodi exclusio & defectus, necesse est rem ipsam actu dari, quamobrem cùm pro tempore, quo verificatur determinatè denominatio, non existat actu & realiter ipsa realis & adæquata indifferentia illi opposita, necesse est exclusionem ipsius & defectum dari in statu reali & actuali, & non solum in statu logico & obiectivo. Sic pariter, si ultima actualitas existat tantùm in statu obiectivo & logico, & consequenter iuxta mentem Adversar: realiter non exi-

existat, sequitur luculenter, quod ipsa indifferentia adæquata, quæ unicè per actualitatem ultimam excluditur primò & per se formaliter, ut patet ex terminis, realiter & actu existat in se, & consequenter impediat, ne denominatio determinatè verificetur, ut ostensum est in demonstratione semper recurrente, cuius proinde mediocri intelligentiâ præfati sumus omnes dubitationes protinus evanescere.

ARTIC. III. THEOR. II.

De futuro contingenti, quà futurum est, implicat dari veritatẽ evidentem & determinatam non fundatam, & resolubilem in veritatem evidentem actualem de eodem quà præsenti.

X. **Demonstratio huius theorematis innititur** huic principio evidenti, iacto à philos. tũ in locis susupra cit. tum etiam in *2. & 9. metaph.* atque in *3. de Ani. Eatenus aliquid est evidenter, & determinatè cognoscibile atque affirmabile, quatenus determinatè est, vel in se, vel in aliquo effectu, vel in suâ causâ necessariò & inevitabiliter connexâ cum illo.* de obiecto enim quà indeterminato & indifferenti in se ad aliquod prædicatum, non potest intelligi, nedum esse vera & determinata affirmatio: atqui ex notione futuri contingenter & liberè, manifestum est, quòd quà futurum est, non habet ullam determinationem in suâ causâ, neque etiã secundum se, & consequenter neq; in ullo suo effectu; ergo de futuro contingenti, quà futurum est, non potest dari veritas evidens & determinata.

ARTIC.

ARTIC. IV. THEOR. III.

De futuro contingenti datur in intellectu divino evidens & determinata veritas.

XI. Demonstratio habetur ex dictis in præcedenti theor. in hunc modum: eatenus aliquid est evidenter & determinatè cognoscibile, atque affirmabile, quatenus determinatè & actu est in se, vel in suâ causâ &c. ergo omnis potentia cognoscitiva eiusmodi obiecti per illam suam determinationem, per quam determinatur ad coexistendum illi iam in se determinato, est evidenter potens elicere affirmationem evidentem & determinatam de esse eiusdem: atqui intellectus divinus per suam indivisibilem & infinitam æternitatè determinatur essentialiter ad coexistendum ipsi futuro contingenti; ergo est adæquatè potens, consequenter ultimò & formalissimè determinatus ad veritatem evidentem, & determinatam de ipso futuro contingenti.

XII. Confirmatur hęc demonstratio quoniam intolerabilis cæcitas est in quocunque intellectu, non cognoscere id quod præsentialiter ipse facit: cùm ergo intellectus divinus sit causa immediata ipsius futuri contingentis, ut demonstratum est 8. Phys. necesse, est, ut intellectus divinus, (præcipuè cùm iuxta demonstrata à Phil. 12. Metaph. non moveatur nisi à seipso) cognoscat, atque intuitione evidenti feratur in eiusmodi futurum. in Deo autem, cũ sit actus purus & immutabilis, omnis intuitio est indivi-

sibiliter æterna, & incapax novitatis. Vnde apparet absurditas Tullij posthabentis intellectũ divinum humano, quoad cognitionem contingentium; & hinc deinde consequenter deductus est ad dubitandum de providentia & existentia Numinis, ut apparet in 3. *de Natu. deorum*, licet ad amovendam à se invidiam, interloquatur in persona vellei Cottæ, ut notat August. loci. cit.

ARTIC. V. THEOR. IV.

Enuntiationũ contradicentium intellectûs creati de futuro contingenti altera est determinatè vera, altera determinatè falsa.

XIII. Demonstratio descendit ex præcedenti theorm. ea enim enuntiatio, quæ conformatur veritati determinatæ in intellectu divino, erit manifestè vera, & propterea etiam opposita erit determinatè falsa. Confirmatur manifestè, quoniam videtur per se notum & indubitatum, quòd omne immersum tempori, subijcitur pariter differentijs temporis, puta præsenti, præterito & futuro. Ergo quodlibet existens pro præsenti, habebit rationem futuri respectu præteritorum, & rationem præteriti respectu futurorum; ergo hæc ratio futuri debet de illo posse verè enuntiari pro aliqua differentiâ temporis; atqui non potest de illo verè enuntiari nisi pro tempore, respectu cuius non est præsens, neque præteritum, ut videtur clarum: ergo ex ipsâ temporaneitate futuri contingentis colligitur de illo dari determinatam veritatẽ.

Et

Et huc facit ratio communis, & efficax, videlicet, *ex eo, quod res est, vel non est, oratio est vera vel falsa*; ergo propositio affirmans futurum pro hoc tempore, pro quo est futurum, & existere in se pro ea differentiâ temporis, pro qua deinde existit, erit nunc determinatè vera, & opposita determinatè falsa.

ARTIC. VI. THEOR. V.

Hæc determinata veritas, à qua enuntiatio intellectûs creati denominatur determinatè vera, non est veritas creata, & existens extra Deum.

XIV. Prima demonstratio nititur veritate primi theorematis, & hoc principio indubitato, quòd *ex naturâ rei Deus potest universum mundum uno nutu delere, ut habetur 2. mach. 8.* & consequenter quòd in ordine naturali rerum, nihil creatum potest dari de præsenti trahens essentialiter & inevitabiliter aliquid futurum contingens, iam sic arguo. Cùm enuntiatio de futuro contingenti sit nunc determinatè vera, per theorema. 4. ergo debet nunc dari actu & realiter ultima actualitas eiusmodi propositionis ut veræ essentialiter incompossibilis cum illius falsitate per 1. theorema. ergo si hæc ultima actualitas est aliquid creatum, & extra Deum, dabitur ex natura rei aliquid creatum essentialiter connexum, & inferens futurum contingens, quod est contra principium modò positum.

XV. Altera demonstratio, & quidem à priori, posita à philos. fundatur in veritate eiusdem primi

theo-

theorematis, atque in hoc effato. *Illud, quod ex naturâ rei, & juxta cursum naturalem est tempore prius altero, pariter existit & prius naturâ, & inimpedibiliter respectu illius.* Cuius principij veritas demonstrata est in 2. phys. & nunc obiter indicatur, primò quidem universali inductione, quâ videmus omnes causas propagare se antrorsum, non autem retrorsum, neque quisquam mentis compos potest suspicari præsentis messis abundantiæ, & maturitati ab inclementi aurâ futurâ, similique impendenti tempestate metuendum esse, aut quod ignis futurus nunc inducat calorem, impediátve sensum frigoris præsentis &c. quare manifestum est universali inductione, quod ex natura rei id, quod est tempore prius, est ex naturâ rei prius & inimpedibile ab eo, quod est posterius tempore. Et ratio fundamentalis, & à priori est, quoniam activitas & vis tam in operando, quàm in resistendo, sequitur ad actualitatem rei, vnumquòdque enim in tantum agit, inquantum est actu 9. metaph. t. 20. omnis autem virtus creata subiecta tempori, habet suum esse, & actualitatem tali tempore coercitam & contentam, eámque promovet in anterius per permanentiam in suo esse, non verò in tempus præteritum; ergo & activitas atque vis tam activa, quàm resistitiva ex naturâ rei non poterit tendere in præteritum, sive in id, quod est tempore prius. Vnde fit ex naturâ rei, soli virtuti increatæ, exemptæ nimirum ab omni tempore, subijci immediatè & indivisibiter

ter omnia temporanea. Accedit, quòd ipse ordo prioris & posterioris in tempore, fundatur & reducitur in ordinē prioritatis & posterioritatis naturæ: unde meritò dicitur tempus præteritū parens præsentis, ut pariter est explicatum in 2. phys. His præmissis, sic instituitur demonstratio. Ex naturâ rei id, quod est tempore prius, est pariter naturâ prius, aut non posterius, neque impedibile à posteriori: sed determinatio veritatis derivatur in enuntiationem creatam in posteriori ad determinationem ipsius objecti secundum suum esse, nam quemadmodum cognosci sequitur ad esse, ita & cognosci verè, ad verè esse; ergo juxta principiū modò positum, non potest ex naturâ rei veritas propositionis de futuro contingenti esse tempore prior, quàm ipsum futurum contingens. Atqui si ea veritas esset creata, esset pariter tempore prior, juxta demonstrata in 1. theorem. ergo &c.

XVI. Confirmatur & promovetur hoc argumentum, quia si veritas determinata de futuro contingenti esset quid creatum, & existens extra Deum, esset quid inimpedibile à voluntate futurâ, ut proximè est ostensum; ergo manifestè tolleret libertatē, ut rectè arguit philosophus: illud enim quod ita essentialiter est connexum cum aliquo actu voluntatis, ut eius existentia non sit impedibilis ab eâdem voluntate, indubitatè tollit indifferentiā ad utrámque partem contradictionis, adeóque & libertatem, quæ ratiocinatio meritò visa est Aureolo demonstra-

ſtrativa. His accedit, quod veritas denominans verâ enuntiationem de futuro contingenti, cùm denominet eam veram, pro quacúnque differentiâ temporis eliciatur, debet utique & ipſa exiſtere in omni tempore, atque adeò eſſe eſſentialiter æterna: nihil autem extra Deum eſt non ſolùm eſſentialiter, ſed neque ſimpliciter æternum; ergo ea veritas non datur extra Deum. Manet ergo probatum de futuro contingenti dari determinatam veritatem, eámque non eſſe extra Deum, quæ omnia erant oſtendenda.

Libet autem huius quæſt. celeberrimæ reſolutionem iam firmatam, tum ad mentem Philoſophi penitiùs introſpiciendam, tum in gratiam tam Nobilis Domini Defendentis, quàm humaniſſimorum Auditorum, nonnullis illuſtrare corollarijs, quæ tanquam maturi & ſuâ ſponte decidentes fructus, ex præjactis theorem. velut fæcundo ſemine, decerpuntur. Ex innumeris autem, & ſanè graviſſimis, paucula placet ſeligere, & breviter ſaltem indigitare, eo ferè ordine, qui obſervatus eſt in ipſorum theorm. diſpoſitione.

ARTIC. VII. COROLL. I.

Quid requiritur ad hoc, ut pro aliquâ differentiâ temporis intelligatur formaliter verificari denominatio?

XVII. Ex præmiſſis 1. ergo deducitur, non poſſe ullam denominationem verificari pro aliquâ differen-

rentiâ temporis, ita ut omnia ea, quæ pro eâ differentiâ temporis existunt,& ad constitutionem denominationis pertinent,sint singillatim & collectim intrinsecè,& realiter indifferentia,ad hoc, ut eiusmodi denominatio verificetur,aut non. Sed sanè necesse est, ut detur pro eâdem differentiâ temporis in se actualiter, & realiter existat ultima actualitas denominationis primò & per se formaliter determinativa eiusmodi denominationis, atque primò & per se formaliter exclusiva indifferentiæ adæquatæ & plenæ oppositæ eiusmodi denominationi; quapropter debet aut aliquod ex constitutivis illius denominationis tunc existentibus, aut totum complexum ex eisdem esse essentialiter & intrinsecè connexũ cum determinatione, & verificatione eiusdem denominationis.

XVIII. Vnde ulterius sequitur, quòd cùm ad verificationem determinatam denominationis requiratur evidenter, ut omne involutum formaliter in tali denominatione existat eo modo, & pro eâ differentiâ temporis, sicut importatur & exprimitur ab ipsâ denominatione, idcirco necesse pariter est, ut ultima actualitas ipsius denominationis,actu existens, essentialiter & intrinsecè connectatur & inferat singula, & omnia constitutiva eiusdem, pro suo statu & tempore respectivè & proportionaliter importatis pro qualitate ipsius denominationis.

ARTIC:

ARTIC. VIII. COROLL. II.

Ostenditur quæ & quales partes involutæ formaliter in aliquâ denominatione, debeant existere, ad hoc, ut simpliciter verificetur ipsa denominatio.

XIX. Quæstio hæc in varias opiniones distracta est apud A.A. aliqui enim volunt, ut omnia prorsus involuta existant actu: aliqui, ut existat id, quod importatur in recto: aliqui, ut nihil prorsus existat; & alij in alias combinationes eunt, quorum tamen omnium placita, instantijs manifestis & obvijs revincuntur. Decisio ergo, meo judicio clara & universalis descendit ex præmissis. Vniversaliter ergo requiritur & sufficit, per se loquendo, ad verificationem denominationis, ut existat ultima actualitas eiusdem, & de aliorum existentiâ ferendum est judicium pro qualitate connexionis & respectûs, quo ad ea afficitur ipsa ultima actualitas. Cùm enim per affirmationem denominationis simpliciter primò & per se ac formaliter affirmetur de subjecto determinatio ad talem denominationem, atque adeò exclusio formalis adæquatæ & plenæ indifferentiæ eiusmodi determinationi oppositæ: & cùm hæc omnia præstentur formaliter per ipsam ultimam actualitatem, ut innotuit ex præmissis, propterea id, quod primò & per se requiritur, & sufficit ad verificationem denominationis, & tanquam primò & per se simpliciter & immediatè affirmatum, est ipsa existentia ultimæ actualitatis: quæ, quia aliquando

do est essentialiter actu connexa cum omnibus alijs constitutivis, ideo tunc consequenter requiritur ipsorũ existentia. Sic in denominatione *albi*, quia ipsa ultima actualitas, videl *unio*, necessariò afficit extrema. puta *parietem, ut albedinem*, ideo ea debent actu existere ad verificationẽ denominationis. At in denominatione *domus antiqua* e.g. quia ipsa ultima actualitas, puta præteritio elapsi temporis, essentialiter & intrinsecè connectitur cum existentiâ domûs importatæ in recto, & ipsi tempori elapso, non tantùm non necessariò coëxistit, sed necessariò succedit; ideo ad veritatem huius denominationis consequenter requiritur actualis etiam existentia recti, & requiritur ut non tunc existat tempus elapsum, communiter reputatum pro parte intrinsecâ eiusdem denominationis. In denominatione demum *annus futurus*, quia ultima actualitas futuritionis non solùm non postulat actu dari nunc annum futurum, qui importatur in recto, imò postulat pro nunc non existere, ideo ad verificationem talis denominationis, non requiritur actualis existentia neque illius quidẽ, quod importatur in recto. Apparet ergo universalitas & facilitas decisionis. A A autem multi, quia non respexerunt ad id, quod est per se, & formale in denominatione, sed ad id, quod materiale est, nimirum ad diversitatem materialem diversarũ denominationũ, ideo passi sunt æquivocationẽ, atque secessionem in varias partes. Ex eodẽ penitùs principio pronum est unicuique stabilire regulas univer-

sales

sales logicas, circa naturam & passiones enuntiationum quidditativarum, accidentalium, necessariarũ, contingentium &c. Sed ad altiora properamus.

ARTIC IX. COROLL. III.

Vera & sublimis est doctrina D. Augustini revocantis omne tempus ad tempus præsens.

¶ XX. Celebris & vera est doctrina D. August. 11. Confes. cap. 17. & 20. ubi ait, futura, ubicunque sunt, non esse futura, sed præsentia; & actionem, quando erit, non fore futuram, sed præsentem, & antequam sit, esse futuram; & cap. 20. expresse docet, non tam propriè dici tria tempora præteritum, futurum & præsens, quàm esse tria tempora præsentia, scilicet præsens de futuris, præsens de præsentibus, & præsens de præteritis. Hæc autem universa doctrina manifestè demonstratur ex præmissis: nam cùm eatenus pro præsenti verè affirmetur aliqua denominatio esse præsens, præterita, aut futura, quatenus pro præsenti datur determinatio ac ultima actualitas eiusdem denominationis ad existendum pro suâ differentiâ temporis, ut demonstratum est in præcedentibus, perspicuè sequitur realitatem & veritatem omnis differentiæ temporis salvari, ac reduci ad tempus præsens; unde universali & uniformi instinctu omnes inclinamur ad definiendas, explicandas, ac mensurandas alias differentias temporis per respectum & analogiã ad tempus præsens.

ARTIC. X. COROLL. IV.

Vniversaliter respectu omnis judicij veri pro omni eâ differentiâ temporis, pro quâ est verum, debet actu existere ipsius verificativum.

XXI. Huius quidem deductionis multiplex probatio habetur ex dictis. 1. & fundamentalis est. Omne judicium absolutum (nam de hypothetico procedit eadem ratio, cùm demonstratum sit in loco, omnem enuntiationem hypotheticam fundari, & resolvi in absolutam, cui æquivalet) affirmat vel negat de subjecto aliquam denominationem significatam, & importatam per prædicatum, ídque pro omni, vel aliquâ differentiâ temporis expresse vel implicitè, ut est indubitatum ex terminis, ergo tam juxta dicta in præcedenti coroll. quàm ostensa etiã in 2. theorem. debet dari nunc, id est, pro omni eâ differentiâ temporis, pro quâ judicium supponitur esse verum, actualitas ultima determinativa objecti, sive denominationis ad existentiam sive verificationem pro suâ differentiâ temporis. Nam ut in præcedentibus argumentabamur, implicat manifestam contradictionem, ut vel intelligatur quidem determinata veritas ex parte enuntiationis pro præsenti, & quòd simul detur realiter & actu adæquata & omnimoda indifferentia ad hoc, ut denominatio affirmata existat, verificetúrque pro eâ differentiâ temporis, pro quâ affirmatur, sed debet pro præsenti pariter infallibiliter existere ultima actualitas,

atque determinatio ad existentiâ ac verificationem denominationis pro eâ differentiâ.

XXII. Accedit demonstratio à posteriori magis expressiva præcedentis: nimirum, pro omni eâ differentiâ temporis, pro quâ denominatur judicium *verum*, Debet actu existere veritas, id est, ultima actualitas judicij veri, quâ *veri*, ut patet evidenter ex 2. theorem. sed implicat intelligere, quòd existat actu veritas, & quòd verificativum non existat actu, sed sit indeterminatum, & in purâ potentiâ, sicut implicat actu existere cognitionem, & cognoscitivum esse indeterminatum, & in purâ potentiâ. Nam, ut patet, ex notione termini, *verificativum* est illud, à quo per se deriuatur veritas & determinatio in cognitionem veram, ergo universaliter respectu omnis judicij veri pro omni eâ differentiâ temporis, pro quâ est verum, debet actu existere ipsius verificativum. Et quoniam actualis determinatio, & ultima actualitas futuri, præsertim contingentis, non potest esse intellectus creatus, aut illius præsens cognitio, hinc ulteriùs consequitur, debere respectu enuntiationis veræ creatæ de futuro, existere actu verificativum, realiter à cognoscente, & cognitione distinctum, cuius oppositum valet in divina cognitione atque intellectu, cùm Deus solus sit motivum unicum divini intellectûs determinativum cognitionis divinæ ad veritatem, omnémque perfectionem.

ARTIC. XI. COROLL. V.

Pulchra juxta ac efficax demonstratio de existentiâ Dei, sub conceptu entis necessarij, & statûs quidditativi omnium rerum.

XXIII. Quoniam enim evidens est dari propositiones necessariò veras, quæque dicuntur æternæ veritatis, quales sunt omnes identicæ, & illæ, in quibus est prædicatio in primo vel secundo modo perseitatis, utique evidens erit eiusmodi propositiones esse veras pro quocúnque instanti, & eventu possibili eliciantur. Ergo per demonstrata in præcedenti Coroll. pro omni instanti & eventu possibili debet existere verificativum eiusmodi propositionum, & quidem necessariò; alioqui illo deficiente vel pro uno eventu, iam intelligetur formaliter fallificari propositio. Hoc autem ens necessarium pro omni eventu possibil meritò vocatur status quidditativus abstractus omniũ essentiarum, quandoquidem per illud salvatur unicè necessitas connexionis omnium & singularum essentiarum creabilium cum suis prædicatis quidditativis & proprietatibus. Et in hoc erravit Plato, non quòd idæam sive statum quidditativum immobilem & abstractum ab essentijs particularibus & mobilibus posuerit, Sed quòd illum multiplicaverit; nisi benignè explicetur de multiplicitate eminenti, & relatâ ad intellectum nostrum, ex cuius modo intelligendi oritur, ut unus idemque status quidditativus omnium rerum, penes varietatem ænigmatum, per quæ transf-

lucet, distrahatur in varias scientias & abstractiones, donec in beatissimâ patriâ fiat, ut quemadmodum est Deus unus, ita habeat & nomen unum, *juxta vaticinium Ioëlis.*

XXIV. Confirmatur veritas huius Coroll. altiùs. Ad cujus evidentiam sciendum est, quòd DEVS est eminens causa totius latitudinis entis, & secundùm omnes rationes particulares, & secundum omnes rationes universales; quandoquidem est causa entis, quà ens est, hinc est, quòd ad infinitã hanc continentiã divinam, atque infinitam cognoscibilitatem eidem indivisam, consequitur ut per quamlibet rationem, quantumvis abstractam innotescere possit evidenter intellectui nostro; & cum ratio entis sit omniũ prima & abstractissima, idcirco pertinuit ad dignitatem infinitam veritatis & cognoscibilitatis divinæ, etiam innotescere per ipsam rationem entis: Hoc enim in primâ sui impressione testatur evidenter dari necessitatem, ut ens sit *ens*, neque sit non ens, Hæc autem necessitas, ut dictum est, est gloriosus Deus. Quò allusit fortè solemnis doctor in summâ, dum ait Deum esse primum cognitum respectu intellectûs nostri.

ARTIC. XII. COROLL. VI.

Aliquid temporaneum non potest esse adequatè ultima actualitas alicuius denominationis aeternæ, neque è converso.

XXV. Cùm enim ex præcedentibus, ultima actua-

ctualitas sit primò & per se formaliter determinativa denominationis,& pariter exclusiva adæquatæ indifferentiæ in oppositum, manifestum est, quòd ultima actualitas & denominatio sint indivisa quoad esse, & consequenter etiam quoad mensuram durativam æternam, sive temporalem. Atque eâdem evidentia sequitur, quòd si denominatio est penitùs necessaria, erit & ultima actualitas pariformiter necessaria, si contingens, debet etiam actualitas ultima esse contingens formaliter aut eminenter. Vnde rectè sequitur cum Averroe, quòd omnis voluntas & notitia Dei est antiquissima, & habens actualitatem suam ultimam planè æternam; sive deinde ea sit perfectio, sive imperfectio, sive Deo intrinseca, sive extrinseca, sive quid positivum, sive negativum, de quâ re disputandũ est cum Philos. 12. metaph. t. 52.

ARTIC. XIII. COROLL. VII.

Solius divini Intellectûs proprium est, connaturaliter habere cognitionem evidentem de futuro.

XXVI. Demonstratio à priori huius Corollar. posita est in theor. 2. & sic instauratur. Intellectus immersus tempori, atque durans successivè & defectibiliter, natus est consequenter cognoscere futurũ, quà futurum, id est, quà distans durativè ab ipso cognoscente, eiúsque cognitione, ut patet ex terminis. Sed futurum contingens, quà futurum, non potest cadere sub cognitionem evidentem ullius intellectûs, juxta demonstrata, & explicata in cit. theorem. ergo

ſolius divini intellectûs proprium eſt connaturaliter habere cognitionem evidentem de futuro; quemadmodũ ſolius intellectûs creati, & potentis falli proprium eſt poſſe fallibiliter tendere in futurum contingens, quà futurum eſt. Sed & demonſtrationes poſitæ in theor. 5. eâdem efficaciâ ſtabiliunt veritatem huius Coroll. ut per ſe apparet.

XXVII. Sed ad huius rei altiorem penetrationem funditùs emollienda enimverò eſt ea difficultas, quam omnes & doctiſſimi experiuntur in percipiendâ præſcientiâ divinâ de futuro contingenti, abſque libertatis & contingentiæ detrimento, quod ſic conabor præſtare. Intellectus ergo creatus, præſertim humanus, quoniam eſt immerſus & ſubjectus tempori tam in eſſendo, quàm in cognoſcendo, inde originatur ſucceſſio tam realis, quàm intentionalis in ipſam cognitionem, ita ut quemadmodum in ipſis objectis cognitis datur ſucceſſio, & diverſitas præteriti, præſentis & futuri, ita in intellectu noſtro (& propterea quòd temporaneus eſt, & quòd etiam percellatur ad cognoſcendum à cognoſcibilitate objectivâ) datur proportionalis diverſitas in cognitionibus eorundem; Nam præſens cognoſcit per cognitionem intuentem, ac præſentantem ipſum objectum, præteritum verò per cognitionem rememorativam, futurum autem per cognitionem expectantem, ut loquitur Auguſt. quare tempus, in quo res eſt in aliquâ diſpoſitione, comparatur ad noſtram cognitionẽ, ſicut ad rem exiſtentem ſub tempore: unde fit, ut

cùm

cùm cognoſcitur aliqua rei diſpoſitio ut præſens, & ipſa res cognita, & cognitio intelligatur præſenti tempore menſurari, quando verò cognoſcitur aliqua rei diſpoſitio ut futura, intelligatur illa res futura in ordine ad ipſam cognitionem, eiúſque durationẽ temporaneam: Evidens enim eſt, quòd licet cognoſcam Moyſen quà futurum reſpectu Abrahami, non tamen cognoſco affirmóve illum propterea ut futurum ſimpliciter, quia intelligere illum, ut futurum ſimpliciter, eſt cognoſcere illũ ut futurum,& temporaneè diſtantem ab ipsâ meâ cognitione, & menſurâ durativâ illius.

XXVIII. Hinc porrò ſequitur,cùm res in diverſis partibus temporis diverſimodè ſe habeat, quòd etiam, ſecundùm quod ad cognitionem comparatur, variationem habet,& ideo meus intellectus de Petro hodie ſedente, rectè affirmat *Petrus ſedet.* at cras, ut verum dicat, debet variare cognitionem, & dicere *Petrus ſedit.* quare cognitio noſtra eſt ſicut punctũ in circumferentiâ ipsâ rotæ, quod non coëxiſtit aut reſpondet pluribus, ſed ad alia ſequitur, & alia antecedit. Vnde ulterius ſequitur, quòd manifeſtum nobis eſt, tolli contingentiam alicuius futuri, cuius ex naturâ rei datur præcognitio creata evidens, quia cùm temporaneè præcedat, evadit inimpedibilis ab ipſo futuro. Quoniã ergo non cognoſcimus modum divinæ cognitionis niſi per ænigma, et ad modulum noſtræ cognitionis, inde conſurgit vniuerſa difficultas: nam dum apprehendimus Deum præſcire pec-

cacum craſtinum Petri, repræſentatur nobis divina cognitio fixa per modum puncti in circumferentiâ rotæ, aut inſtantis in ipsâ lineâ temporis, quaſi tendens ſin futurum quâ futurum, cum diſtantiâ durativâ interceptâ inter ipſam divinam cognitionem ac objectum futurum: hæc enim diſtantia importatur in ipſo vocabulo *futurum* ſimpliciter.

XXIX. Et hinc naſcitur prima difficultas concipiendi, quomodo de futuro contingenti, quippe indeterminato & indifferenti, poſſit in intellectu divino dari præſcientia determinata & evidens; & hinc ſecunda, quòd ea non poſſit coëxiſtere pluribus temporaneis inter ſe diſtantibus, ſed debeat coëxiſtere præſenti, & præcedere futurum; & hinc naſcitur tertia difficultas, quòd nimirum ratione ſuæ præceſſionis evadat inimpedibilis ab ipſo futuro, adeóque de medio tollat omnem contingentiam & libertatem, quare hîc opus eſt intellectu robuſto, qui aſſurgat non ſolùm ſupra imaginationem, ſed etiam ſupra ſeipſum ſuùmque modum cognoſcendi, licet non deſit ſubſidium aliquod, ductum ab objecto imaginationis. Videmus enim quòd punctum centrale in rotâ, licet ſit indiviſibile, & immobile, correſpondet tamen omnibus & diverſis ſemidiametris terminatis ad diverſa puncta circumferentiæ, & ipſum in ſe immotum ſervat eandem correſpondentiam ad diverſa puncta circumferentiæ, non obſtante horum perpetuâ circulatione, & hoc totum convenit puncto centrali, quia non eſt immerſum circumferentiæ, ſed ex-

extra illam: ita divina æternitas in se indivisibilis & immota, quia non est subjecta temporibus sed abstracta & supra omne tempus, est tota simul indivisibiliter & immobiliter, & uniformiter indistans, & præsentissima omnibus temporalibus, quantumvis inter se distantibus & volubilibus; ex hâc autem æternâ & immobili præsentialitate consequitur, ut intellectus divinus non feratur in futurum per modum exspectantis, sed per modum intuentis ipsum in suâ præsentialitate & actuatione; & consequenter per scientiam evidentem; in quâ, cùm idem sit id, per quod durat coexistenter ipsi futuro pro instanti A, & per quod simpliciter durat, & æternitate indivisibili subsistit, inde fit, ut sit impedibilis simpliciter à voluntate crastinâ Petri; & consequenter hinc intelligitur, quòd rectè cohæret cum contingentia & libertate. Nam ut philosophatur D. Aug. *lib. 3. de lib. arbit. c. 4.* sicut homo dum videt hominem currentem, non tollit suâ visione contingentiam cursûs, eò quòd currens suspendendo suum cursum potest impedire visionem, ita voluntas Petri pro instanti A, suspendendo peccatũ impediet pro eodem instanti, & consequenter pro totâ æternitate visionem divinam de peccato.

(✠)

ARTIC.

ARTIC. XIV. COROLL. VIII.

Veritas determinata de futuro contingenti, à quâ denominatur vera omnis enuntiatio vera de futuro (& quam involuit formaliter ipse status futuritionis respectu futuri, tanquam ipsam connexionem cum futuro) est divina scientia essentialiter vera.

XXX. Demonstratio prima patet ex Coroll. præcedente. Si enim eiusmodi veritas determinata esset extra divinam scientiam, & ex naturâ rei existeret extra Deum, utique possit movere aliquem intellectum creatum ad cognitionem evidentem de sui existentiâ, atque adeò de futuro contingenti; omne enim objectum creatum existens ex naturâ rei est ab aliquo intellectu creato cognoscibile cognitione evidenti, imò adæquante ipsius cognoscibilitatem, ut ostensũ est in loco. Sed & altera demonstratio manifesta est ex præcedentibus, & præcipuè ex dictis in 5. theorẽ. quæ omnia confirmantur. Quia cũ de objecto A futuro pro instanti B. verũ fuit pro omni instanti, & eventu dicere, A. erit pro instanti B. ergo verificativum eiusmodi enuntiationis secundum quod dicit connexionem cum futuro, est æternum juxta demonstrata in Coroll. 6. sed nihil ab æterno fuit præter Deum, actúsque intentionales ipsius, ut est indubitatum; ergo eiusmodi veritas determinata, & futuritio objecti est indistincta à divinâ scientiâ.

XXXI. Sed ratio penitior & fundamentalis desumi-

ſumitur ex nobilitate cognitionis: ad cuius intelligentiam ſciendum eſt,quod exiſtentia rei eſt duplex, una intrinſeca & realis, quâ res in ſe exiſtit, alia extrinſeca & intentionalis, quâ res, quæ in ſe non eſt, acquirit aliquod eſſe, atque aliquam præſentialitatem, ratione cuius evadit capax multarum denominationum, relationum &c. Dico autem quòd proprium cognitionis eſt eſſe primam connexionem & denominationem ad rem non exiſtentem in ſe: quòd enim cognitio det aliquod eſſe & aliquam præſentiam rei cognitæ, manifeſtum eſt, quia cognitio eſt tentio quædam objecti & poſſeſſio illius: unde videmus, quòd etiam malum repræſentatum ſub ſpecie & conceptu boni, ex vi illius exiſtentiæ intentionalis evadit amabile.Quòd autem proprium ſit cognitionis, rei in ſe non exiſtenti tribuere formaliter eſſe quoddam, patet ex ipſo conceptu cognitionis, cuius proprium eſt repræſentare res, & præſentes facere intentionaliter, quare dum dicitur, quòd virtus cauſandi tribuit effectui exiſtentiam in causâ, & quòd amor tribuit objecto amato exiſtentiam quandam, id quidem ita eſt verum, ut tamen præſupponant exiſtentiam & præſentiam intentionalem ſui objecti iam communicatã per cognitionẽ, & conſequenter ipſa tribuunt exiſtentiam potius inſtrumentaliter & analogicè, quàm formaliter. Sicut enim cognitio eſt ſignum formale rei, & ſignificare & repræſentare formaliter dicitur, alia verò ſigna dicuntur ſignificare non formaliter

ſed

sed instrumentaliter, ita denominatio cogniti, est denominatio præsentis formaliter, intentionaliter: aliæ denominationes sunt quidem denominationes præsentis, non formaliter, sed quasi instrumentaliter, quatenus præsentiam formalem significare possunt propter connexionem essentialem, quam cum illa habent.

XXXII. Sed in introspicienda doctrina huius Coroll. quæ habetur apud D. Thom. 1. p. q. 16. a. 7. debet quis diligenter internoscere intermodū cognoscendi intellectûs divini ac nostri: Divina enim scientia non causatur à rebus, neque eget motivo distincto & præsupposito, sicut eget nostra scientia, quæ proinde ita dat aliquod esse ipsi objecto cognito, ut tamen supponat illud in eo statu, qui necessarius est, ut ipsa potentia intellectiva moveatur ab objecto ad cognoscendum, sicut latiùs dicendum est in loco.

ARTIC. XV. COROLL. IX.

Verum est commune pronuntiatum, quòd non ideo sessio Petri est futura pro instanti A, quia Deus præscit, sed potius è contrario, ideò præscit sessionem futuram, quia sessio est futura.

XXXIII. Demonstratio est facilis ex dictis; nam cùm ex ostensis in Coroll. 7. sit in potestate Petri pro instanti A suspendere sessionem, & cum sessione in se existente actu, tanquam cum termino seu materiâ circa quam, connectatur ipsa divina scien-

tia,

tia, palam consequitur ideo Deum præscire sessionē, quia sessio est, & non è contra. Neque huic doctrinæ adversatur ea, quæ posita est in proximo Coroll. in quo dictum est, quod ipsa scientia divina est futuritio ipsa sessionis, in sensu ibi explicato, nam licet in re idem sit Deum scire sessionem pro instanti A, ac sessionem esse futuram, tamen verè potest dici, *ideo Deus scit sessionem futuram, quia illa est futura*: quemadmodum licet juxta sententiam multorum actio & passio sint idem, tamen vera est prædicatio, *ideo patiens patitur, quia agens agit*, & non é contra. Jtem licet juxta multos idem sit in re influxus voluntatis & habitûs in actum voluntatis, tamen dicitur verè, *ideo habitus concurrit, quia voluntas concurrit*, & non é contra, & sic in infinitis alijs instantijs; item ideo, voluntas amat finem, quia ab illo movetur, & tamen actio amatoria est ipsa etiam motio causæ finalis. Et ratio à priori & universalis est, quia per ejusmodi causales non importatur distinctio & prioritas inter formas denominantes, sed solùm attemperatio inter ipsa subjecta denominata; ut in ultimo exemplo solùm denotatur, quòd per ipsam actionē amatoriā finis attemperat sibi agentis virtutem. Sic in altero exemplo importatur, quòd voluntas per actionem ipsam habitûs, attemperat sibi habitum. Ita in casu nostro per illam causalem *ideo Deus scit* &c. exprimitur tantùm, quòd intellectus divinus in eliciendā scientiā de futuro contingenti, attemperatur ipsi voluntati liberæ, & potenti

impe-

impedire ipsam scientiam divinam, quæ positâ ele-ctione voluntatis pro instanti A, necessariò procedit ab intellectu divino.

ARTIC. XVI. COROLL. X.

Omnis judicans de futuro, mentionem aliquam saltem implicitam facit de Deo, eiúsque notitiâ.

XXXIV. Demonstratio patet ex Coroll. 8. quoniam enim omnis judicans A, esse futurum, & affirmat formaliter vel æquivalenter A esse futurum, & suam propositionem esse veram. Atqui per demonstrata in Coroll. cita. A esse futurum formaliter, & propositionem esse veram, formaliter habetur per ipsam divinam scientiam de futuro, tanquam per connexionẽ cum ipso futuro (quod sæpius dictũ est, ad amovendam occasionem æquivocandi, cùm completa ratio futuri, & futuritionis involuat prætereа aliquid creatum, respectu cuius futurum dicitur futurum) ergo omnis judicans de futuro, facit mentionem aliquam de divinâ scientiâ; quidquid sit de illâ quæst. an omnis attingens & asserens verum, simul attingat divinam scientiam sub conceptu regulæ & mensuræ veritatis, atque ultimi finis omnis intellectûs.

XXXV. Confirmatur. quia spectabat ad infinitam cognoscibilitatem Dei, ut Ipsius existentia innotesceret per creaturam in quocúnque statu positam. Triplex autem est status, secundum quem creatura potissimùm considerari potest: primus est status possibi-

ſibilitatis: ſecundus eſt ſtatus actualitatis iam poſitæ: tertius eſt ſtatus actualitatis nondum poſitæ, ſed ponendæ. Et quidem quamlibet creaturam conſideratam in primo ſtatu ducere in notitiam Dei, tanquam ſtatûs quidditativi, oſtenſum eſt in Coroll. 5. Ex actualitate autem cuiuslibet creaturæ poſitæ, demonſtrata eſt exiſtentia Dei ſub conceptu primi Motoris immobilis 8. phyſ. Et demum quòd creatura conſiderata ſecundum ſtatum actualitatis ponendæ demonſtret Deum ſub ratione futuritionis, atque veritatis determinatæ de ipſis futuris, conſtat luculenter ex præmiſſis. Jd tamen diſcriminis notandum eſt, quòd quemadmodum creatura in ſtatu poſſibilitatis & futuritionis nihil habet de ſuo, ſed in ſtatu actualitatis habet ſuum proprium eſſe, & actualitatem intrinſecam, ita affirmatio illius pro utroque priori ſtatu tendit immediatè in Deum, quatenus verificativum, potiſſimum propoſitionis; at affirmatio creaturæ in ſtatu actualitatis poſitæ tendit immediatè in creaturam ipſam, & pedetentim ducit in notitiam attingentem immediatè ipſum Deum ſub aliqua formalitate.

ARTIC. XVII. COROLL. XI.

Tullius non debuit ex libertate humana negare præſcientiam divinam, ſed potius ex illâ hanc deducere.

XXXVI. Explicatur ſimul & probatur deductio. Nam ſi Petrus pro die craſtino liberè eligit

 ſede-

ſedere; ergo fuit ſemper verum, quòd ille eſſet electurus. Quæ conſequentia, præterquam quòd eſt probata fusè in 4. theor. inſuper probatur. Primò quidem, quia aut nunc exiſtit futuritio actualis electionis craſtinæ, aut nunc non exiſtit, ut patet ex primo principio indubitato etiam apud Tullium. Si datur, ergo verè ea electio eſt futura; ſi non datur; ergo verè non eſt futura. Quæ duæ conſequentiæ patent ex dictis in Coroll. 6. Secundo à poſteriori. Quia omnes homines habent naturalem impetum & deſiderium ad judicandum de futuro, & ut non fallantur; ergo talis veritas, non eſt chymerica; ergo ſemper dabatur veritas determinata de ipſa electione liberâ: atqui ſi ea veritas eſſet quid creatum, ex naturâ rei exiſtens præter divinam ſcientiam, tolleret libertatem, ut abundè innotuit in theor. 5. & in Coroll. 5. ergo potius debuit Tullius ex contingentiâ futuri arguere divinam præſcientiam, & providentiâ. Cui veritati ſuffragatur communis ſenſus hominum, qui ſuper futuris contingentibus vel advocandis vel declinandis naturali inſtinctu recurrunt ad preces & orationes fundendas ad Deum; quod non faciunt circa objecta neceſſaria, puta circa futurum ſolis ortum, & ſimilia.

ARTIC. XVIII. COROLL. XII.

Tota doctrina tradita à Philoſopho circa præſentem materiam, videtur eſſe vera.

XXXVII. Quandoquidem pendet ab unico prin-

principio explicato in præcedentibus, videlicet, quod determinatio objectiva, atque actualitas verificativi est fons derivans determinatam veritatem in propositionem: hinc sequitur pronuntiatum 1. philos. videlicet, disiunctiva propositio circa utramque partem contradictionis de futuro contingenti, est determinatè vera, puta ista, *vel Petrus sedebit, vel non sedebit*, & similes. Et ratio est evidens, quia per eiusmodi propositiones affirmatur dari actualis necessitas, ut pro instanti futuro A existat sessio, vel negatio sessionis, & hæc necessitas semper datur. Indidem sequitur pronuntiatum 2. phil. videl. quod ex duabus contradictorijs de contingenti, præsenti, aut præterito, altera est determinatè vera, altera determinatè falsa, quandoquidem ipsum objectũ iam est positum, vel negatio illius pro instanti, pro quo fit affirmatio. Tertio sequitur pronuntiatum 3. videl. si considerentur propositiones creatæ naturales de futuro contingenti, secundùm se præcisè, & non ut extrinsecè denominatæ à cognitione divinâ; neutra est determinatè vera, quia actualitas verificativa eiusmodi propositionis involuit eiusmodi divinam scientiam. 4. & ultimum est, quòd veritas de præsentibus & præteritis est extra Deum, non autem veritas de futuris; quia in præsentibus tum inter se, tum ad præterita, datur intrinseca relatio actualis, & proportio constituens ipsum ultimũ complementum pulchritudinis universi, eáque debuit esse in rebus ipsis, & contemplabilis ab intellectu creato. Et

veritas determinata de futuris debuit existere in solo intellectu divino, & intellectui humano esse obscura & inevidens,ut novo ac novo desiderio stimularetur ad contemplationem superventurarũ rerum in hoc universo, quod est velut connexa tragœdia, juxta philos 14 *metaph.c.4*,in tragædiâ autẽ palã est,ita debere connexionẽ actuum præsentiũ cũ præteritis esse patentẽ & manifestã Spectatoribus, ut tamen hi novâ curiositate acuantur ad spectandos sequentes act⁹ sibi ignotos,licet in ideâ & mente poetæ iã habeatur connexio intentionalis actũũ præsentiã cũ futuris.

ARTIC. VLT : SOLVVNTVR ARGVMENTA.

XXXVIII. R. ad 1. Ratio philosophi est demonstrativa, si agat contra veritatem creatam, ex naturâ rei existentem, & consequenter temporaneẽ præcedentem ipsum futurum contingens. At nihil urget veritatem increatam, essentialiter quidem æternam, si semel ponatur,sed coexistentem totam & indivisibilter ipsi actui libero, atq; adeo impedibilẽ at ipsa potentiâ liberâ. Ad confirmationẽ,major neganda est, Et contradictoria illius ostensa est in Coroll. 11. adeoque Tullius & stoici dimittendi.

XXXIX. Ad 2. transmisso antecedente,distinguo conseq : si sermo sit de enuntiatione ita coexistente alicui differentiæ temporis, pro qua in objecto est omnimoda indeterminatio, ut mensuretur durative ab illâ,& consequenter respiciat ipsum futurum quà futurum est, conc. conseq. si verò sermo sit de enuntiatione,quæ ita coexistat alijs differentijs temporis,

poris, ut tamen ijs non ſubijciatur, neque proinde impediatur, quin tota indiviſibiliter & immobiliter coëxiſtat ipſi futuro contingenti, quà in ſe ac uatò, nego conſeq. ſimiliter ad confirmationē conceſſo antec. diſting. conſeq. veritas determinata præcedens temporaneè, & conſequenter inimpedibiliter ipſum futurū contingens, concedo conſeq. veritas determinata tota ſimul & indiviſibiliter coexiſtens ipſi futuro, & conſequenter impedibiliter, nego conſeq. Intelligentia huius reſponſionis manifeſta eſt ex Coroll. 7. ex quo pariter patet, quòd ſcientia divina de futuro contingenti, non præviſio, neq; prævidentia, ſed potius viſio atque providentia appellanda eſt, ut rectè notârunt plurimi P. P. apud Petavium.

XL. Ad 3. Reſpond. negando in ſideribus eſſe deſcriptam veritatem determinatam de futuris contingentibus. Et mitto primum modum validè in argumento reiectū, ſicut etiam & ſecundum. Vbi ſolùm addo confirmationem hanc, quòd nimirum ex eo patet ſidera parum habere in ordine ad eventus contingentes, quòd homines etiam ſuppoſitā totā conſtitutione ſiderum exorent Deum, ut ſibi det bonā fortunam vincendi in ludo & c. & hoc quidem expediebat ad hoc, ut homines recurrerent ad Deū, tanquam caſus fortuitos ſuā libertate ordinantē: unde & dolent homines ſe eſſe infortunatos, & gaudent ſe bene fortunatos, quaſi inde arguentes peculiarem benevolentiam Dei, qui eſt auctor bonæ fortunæ.

XLI. Tertius autē modus diſplicet vehementer

ex multis capitibus. Et 1. quidē, quoniam cùm adhuc relinquat plenam contingentiā ipsius futuri A, ponendo dispositionem cœlestem esse compossibilem cum utrâque parte contradictionis respectu futuri contingentis A, propterea nullo modo satisfacit suo scopo, ad statuendā nimirum extra Deum veritatem determinatam, & per consequens necessariò connexam cū ipso futuro contingenti A. 2. displicet, quoniam ex dictis in theor. 5. apparet non posse ex naturâ rei, aliquid tempore præexistens esse connexū, & existere dependenter ab aliquo futuro. Et hæc est ratio radicalis, cur revelationes, prophetiæ, & similes usus divinæ scientiæ, sive de futuris absolutè, sive de futuris conditionatè, sint intrinsecè supernaturales. 3. displicet, quia in sensu proposito, cum totâ dispositione & complexione de facto positâ, omnes homines collectivè & distributivè sunt indifferentes ad innumeras alias combinationes operationum faciendas, toto cœlo diversas, imò oppositas illi peculiari combinationi, quæ de facto ponetur, & visa est à Deo ponenda; ergo non potest complexio siderum de facto existens, esse idoneum determinativum ad divinationem talis complexi, seu cōbinationis operationū, quæ de facto fiet.

XLII. 4. displicet, quia, ut ostensū est in 2. Phys. Deus non habet visiones de obiectis vagè & indeterminatè, sed distinctissimè prævidendo omnē effectum, & totam causam adæquatā illius cum omnibus circumstantijs, dependenter à quibus existit.

Qua-

Quare cum mea operatio libera proveniat de facto hic & nunc dependenter à tali actu primo corporũ cœlestiũ de facto existentiũ,utiq; sequitur quòd Deus non potuit in posteriori ad talem scientiã, deputare præsentem complexionem corporũ cœlestium, tanquam signũ probabile,sed fallibile meæ electionis. 5. displicet, quia penitùs perimit Astronomiam, eamq; tollit è scientijs. Quandoquidem enim supponitur quòd talis complexio stellarum, aspectuum, & motuum est connexa cum talibus eventibus humanis contingentibus & liberis, utique sequitur, quòd est in potestate hominum, saltem collectivè sumptorũ, ut non detur præsens combinatio in sitibus,aspectibus & motibus corporum cœlestium, & consequenter de tali complexione motuũ non dabitur scientia. Et sanè videtur indubitatum, quòd cœlestia corpora & in suis sitibus, & motibus maximè regulantur, & per se procedant, juxta Naturæ ordinem & exigentiã, præcipuè cùm sint præcipua pars mundi corporei, & in quibus datur ordo per se,ut habetur 12. metaph. ergo constitutio & dispositio corporũ cœlestium tum quoad suum esse, tum quoad moveri & operari,debet fundari in ordine & necessitate Naturæ, atque præire tanquam universalis causa omnes effectus sublunares,& præsertim eventus contingentes & arbitrarios,quamobrem omnino reijcienda est præfata sententia.

XLIII. Ad confirm: iam ostensum est in Coroll. 10. quòd non est absurdũ, sed maximè veritati con-

 sonum

sonum, omnem judicantem de futuro, mentionem facere de divinâ scientiâ, modo ibidem explicato. Deinde quòd ad revelationes & prophetias attinet, non diffitemur ijs inesse connexionem cum futuro contingenti, non juxta naturam & exigentiã ordinis naturalis, sed cum dispensatione eiusdem. Ad alterum indicium ductum ex eo, quòd veritas videatur perfectio cognitionis, adeóque illi intrinseca, Resp. quòd veritas cognitionis est perfectio eiusdem, sed non semper in ratione finis, sed aliquando in ratione medij, & tunc non est necesse, ut sit intrinseca ipsi cognitioni. Ad cuius responsionis evidentiam, sciendum est, quòd ea vocatur perfectio in ratione finis, quæ per seipsam & ratione propriæ bonitatis est amabilis & laudabilis, præscindendo ab omni utilitate respectu alterius: ea autem dicitur perfectio in ratione medij, quæ eatenus habet æstimabilitatem & amabilitatem, quatenus potest conferre in ordine ad ponendum aliquod bonum per se amabile: de priori perfectione indubitatum est, quòd sit intrinseca ipsi perfectibili, quandoquidem nihil est per se amabile & æstimabile, eo modo, nisi ratione propriæ bonitatis intrinsecæ. At loquendo de posteriori perfectione, potest aliquid perfici per aliquid extrinsecum. Et ratio à priori est, quia potest aliquid in ordine ad causandum aliquod bonum compleri & iuvari per aliquid extrinsecum, v. g. terra in ordine ab causandos flores completur & perficitur per influentiam solis & cœli. Veritas autem in cognitione

tione tunc tantum est perfectio (loquendo de perfectione secundùm rationem veritatis) in ratione finis, quando habetur vel ratione motivi excellentis, adeóque infallibilis, vel arguitivè ratione potentiæ non potentis propter suam perfectionem habere cognitionem falsam, & tunc quidem veritas formalis, vel saltem radicalis est intrinseca ipsi cognitioni. At verò quando cognitio est eiusmodi, ut procedat ex iisdem motivis, atque ab eâdem potentiâ, & eatenus dicatur vera, quòd casualiter obiectum existat, tunc tantũ veritas ipsius est perfectio in ratione medij, consequenter haberi potest per aliquid extrinsecum. Et certè si Petrus nixus motivis probabilibus dicat Paulum peccaturum, & postea Paulus non peccet, nihilominus est æquè æstimabilis & laudabilis Petrus, quod signum evidens est, quòd veritas, quæ deest ipsi, est tantùm perfectio in ratione medij.

Omnia ad maiorem DEI Gloriam.

ſonum, omnem judicantem de futuro, mentionem facere de divinâ ſcientiâ, modo ibidem explicato. Deinde quòd ad revelationes & prophetias attinet, non diffitemur ijs ineſſe connexionem cum futuro contingenti, non juxta naturam & exigentiã ordinis naturalis, ſed cum diſpenſatione eiuſdem. Ad alterum indicium ductum ex eo, quòd veritas videatur perfectio cognitionis, adeóque illi intrinſeca, Reſp. quòd veritas cognitionis eſt perfectio eiuſdem, ſed non ſemper in ratione finis, ſed aliquando in ratione medij, & tunc non eſt neceſsè, ut ſit intrinſeca ipſi cognitioni. Ad cuius reſponſionis evidentiam, ſciendum eſt, quòd ea vocatur perfectio in ratione finis, quæ per ſeipſam & ratione propriæ bonitatis eſt amabilis & laudabilis, præſcindendo ab omni utilitate reſpectu alterius: ea autem dicitur perfectio in ratione medij, quæ eatenus habet æſtimabilitatem & amabilitatem, quatenus poteſt conferre in ordine ad ponendum aliquod bonum per ſe amabile: de priori perfectione indubitatum eſt, quòd ſit intrinſeca ipſi perfectibili, quandoquidem nihil eſt per ſe amabile & æſtimabile, eo modo, niſi ratione propriæ bonitatis intrinſecæ. At loquendo de poſteriori perfectione, poteſt aliquid perfici per aliquid extrinſecum. Et ratio à priori eſt, quia poteſt aliquid in ordine ad cauſandum aliquod bonum compleri & iuvari per aliquid extrinſecum, v. g. terra in ordine ab cauſandos flores completur & perficitur per aſſiſtentiam ſolis & cœli. Veritas autem in cognitione

tione tunc tantum est perfectio (loquendo de perfectione secundùm rationem veritatis) in ratione finis, quando habetur vel ratione motivi excellentis, adeóque infallibilis, vel arguitivè ratione potentiæ non potentis propter suam perfectionem habere cognitionem falsam, & tunc quidem veritas formalis, vel saltem radicalis est intrinseca ipsi cognitioni. At verò quando cognitio est eiusmodi, ut procedat ex ijsdem motivis, atque ab eâdem potentiâ, & eatenus dicatur vera, quòd casualiter obiectum existat, tunc tantũ veritas ipsius est perfectio in ratione medij, consequenter haberi potest per aliquid extrinsecum. Et certè si Petrus nixus motivis probabilibus dicat Paulum peccaturum, & postea Paulus non peccet, nihilominus est æquè æstimabilis & laudabilis Petrus, quod signum evidens est, quòd veritas, quæ deest ipsi, est tantùm perfectio in ratione medij.

Omnia ad maiorem DEI Gloriam.

sedere; ergo fuit semper verum, quòd ille esset electurus. Quæ consequentia, præterquam quòd est probata fusè in 4. theor. insuper probatur. Primò quidem, quia aut nunc existit futuritio actualis electionis crastinæ, aut nunc non existit, ut patet ex primo principio indubitato etiam apud Tullium. Si datur, ergo verè ea electio estfutura; si non datur; ergo verè non est futura. Quæ duæ consequentiæ patent ex dictis in Coroll. 6. Secundo à posteriori. Quia omnes homines habent naturalem impetum & desiderium ad judicandum de futuro, & ut non fallantur; ergo talis veritas, non est chymerica; ergo semper dabatur veritas determinata de ipsa electione liberâ: atqui si ea veritas esset quid creatum, ex naturâ rei existens præter divinam scientiam, tolleret libertatem, ut abundè innotuit in theor. 5. & in Coroll. 5. ergo potius debuit Tullius ex contingentiâ futuri arguere divinam præscientiam, & providentiâ. Cui veritati suffragatur communis sensus hominum; qui super futuris contingentibus vel advocandis vel declinandis naturali instinctu recurrunt ad preces & orationes fundendas ad Deum; quod non faciunt circa objecta necessaria, puta circa futurum solis ortum, & similia.

ARTIC. XVIII. COROLL. XII.

Tota doctrina tradita à Philosopho circa præsentem materiam, videtur esse vera.

XXXVII. Quandoquidem pendet ab unico prin-

principio explicato in præcedentibus, videlicet, quod determinatio objectiva, atque actualitas verificativi est fons derivans determinatam veritatem in propositionem: hinc sequitur pronuntiatum 1. philos. videlicet, disiunctiva propositio circa utramque partem contradictionis de futuro contingenti, est determinatè vera, puta ista, *vel Petrus sedebit, vel non sedebit*, & similes. Et ratio est evidens, quia per eiusmodi propositiones affirmatur dari actualis necessitas, ut pro instanti futuro A existat sessio, vel negatio sessionis, & hæc necessitas semper datur. Indidem sequitur pronuntiatum 2. phil. videl. quod ex duabus contradictorijs de contingenti, præsenti, aut præterito, altera est determinatè vera, altera determinatè falsa, quandoquidem ipsum objectū iam est positum, vel negatio illius pro instanti, pro quo fit affirmatio. Tertio sequitur pronuntiatum 3. videl. si considerentur propositiones creatæ naturales de futuro contingenti, secundùm se præcisè, & non ut extrinsecè denominatæ à cognitione divinâ, neutra est determinatè vera, quia actualitas verificativa eiusmodi propositionis involuit eiusmodi divinam scientiam. 4. & ultimum est, quòd veritas de præsentibus & præteritis est extra Deum, non autem veritas de futuris; quia in præsentibus tum inter se, tum ad præterita, datur intrinseca relatio actualis, & proportio constituens ipsum ultimū complementum pulchritudinis universi, eáque debuit esse in rebus ipsis, & contemplabilis ab intellectu creato. Et

veritas determinata de futuris debuit existere in solo intellectu divino, & intellectui humano esse obscura & inevidens, ut novo ac novo desiderio stimularetur ad contemplationem superventurarũ rerum in hoc universo, quod est velut connexa tragœdia, juxta philos 14 *metaph.c.4*, in tragædiâ autẽ palã est, ita debere connexionẽ actuum præsentiũ cũ præteritis esse patentẽ & manifestã Spectatoribus, ut tamen hi novâ curiositate acuantur ad spectandos sequentes act⁹ sibi ignotos, licet in ideâ & mente poetæ iã habeatur connexio intentionalis actuũ præsentiã cũ futuris.

ARTIC. VLT: SOLVVNTVR ARGVMENTA.

XXXVIII. R. ad 1. Ratio philosophi est demonstrativa, si agat contra veritatem creatam, ex naturâ rei existentem, & consequenter temporaneẽ præcedentem ipsum futurum contingens. At nihil urget veritatem increatam, essentialiter quidem æternam, si semel ponatur, sed coexistentem totam & indivisibilter ipsi actui libero, atq; adeo impedibilẽ at ipsa potentiã liberâ. Ad confirmationẽ, major neganda est, Et contradictoria illius ostensa est in Coroll. 11. adeoque Tullius & stoici dimittendi.

XXXIX. Ad 2. transmisso antecedente, distinguo consеq: si sermo sit de enuntiatione ita coexistente alicui differentiæ temporis, pro qua in objecto est omnimoda indeterminatio, ut mensuretur durative ab illâ, & consequenter respiciat ipsum futurum quà futurum est, conc. conseq. si verò sermo sit de enuntiatione, quæ ita coexistat alijs differentijs temporis,

poris,

poris, ut tamen ijs non subijciatur, neque proinde impediatur, quin tota indivisibiliter & immobiliter coëxistat ipsi futuro contingenti, quà in se ac uato, nego conseq. similiter ad confirmationē concesso antec. disting. conseq. veritas determinata præcedens temporaneè, & consequenter inimpedibiliter ipsum futurū contingens, concedo conseq. veritas determinata tota simul & indivisibiliter coexistens ipsi futuro, & consequenter impedibiliter, nego conseq. Intelligentia huius responsionis manifesta est ex Coroll. 7. ex quo pariter patet, quòd scientia divina de futuro contingenti, non prævisio, neq; prævidentia, sed potius visio atque providentia appellanda est, ut rectè notârunt plurimi P. P. apud Petavium.

XL, Ad 3. Respond. negando in sideribus esse descriptam veritatem determinatam de futuris contingentibus. Et mitto primum modum validè in argumento reiectū, sicut etiam & secundum. Vbi solùm addo confirmationem hanc, quòd nimirum ex eo patet sidera parum habere in ordine ad eventus contingentes, quòd homines etiam supposità totâ constitutione siderum exorent Deum, ut sibi det bona fortunam vincendi in ludo &c. & hoc quidem expediebat ad hoc, ut homines recurrerent ad Deū, tanquam casus fortuitos suâ libertate ordinantē; unde & dolent homines se esse infortunatos, & gaudent se bene fortunatos, quasi inde arguentes peculiarem benevolentiam Dei, qui est auctor bonæ fortunæ.

XLI. Tertius autē modus displicet vehementer

ex multis capitibus. Et 1. quidē,quoniam cùm adhuc relinquat plenam contingentiā ipsius futuri A, ponendo dispositionem cœlestem esse compossibilem cum utrâque parte contradictionis respectu futuri contingentis A, propterea nullo modo satisfacit suo scopo, ad statuendā nimirum extra Deum veritatem determinatam, & per consequens necessariò connexam cū ipso futuro contingenti A. 2. displicet, quoniam ex dictis in theor. 5. apparet non posse ex naturâ rei, aliquid tempore præexistens esse connexū, & existere dependenter ab aliquo futuro. Et hæc est ratio radicalis, cur revelationes, prophetiæ, & similes usus divinæ scientiæ, sive de futuris absolutè, sive de futuris conditionatè, sint intrinsecè supernaturales. 3. displicet, quia in sensu proposito, cum totâ dispositione & complexione de facto positâ, omnes homines collectivè & distributivè sunt indifferentes ad innumeras alias combinationes operationum faciendas, toto cœlo diversas, imò oppositas illi peculiari combinationi,quæ de facto ponetur, & visa est à Deo ponenda; ergo non potest complexio siderum de facto existens, esse idoneum determinativum ad divinationem talis complexi, seu cōbinationis operationū, quæ de facto fiet.

XLII. 4. displicet,quia, ut ostensū est in 2. Phys. Deus non habet visiones de obiectis vagè & indeterminatè, sed distinctissimè prævidendo omnē effectum, & totam causam adæquatā illius cum omnibus circumstantijs, dependenter à quibus existit.

Qua-

Quare cum mea operatio libera proveniat de facto hîc & nunc dependenter à tali actu primo corporũ cœlestiũ de facto existentiũ, utiq; sequitur quòd Deus non potuit in posteriori ad talem scientiã, deputare præsentem complexionem corporũ cœlestium, tanquam signũ probabile, sed fallibile meæ electionis. 5. displicet, quia penitùs perimit Astronomiam, eamq; tollit è scientijs. Quandoquidem enim supponitur quòd talis complexio stellarum, aspectuum, & motuum est connexa cum talibus eventibus humanis contingentibus & liberis, utique sequitur, quòd est in potestate hominum, saltem collectivè sumptorũ, ut non detur præsens combinatio in sitibus, aspectibus & motibus corporum cœlestium, & consequenter de tali complexione motuũ non dabitur scientia. Et sanè videtur indubitatum, quòd cœlestia corpora & in suis sitibus, & motibus maximè regulantur, & per se procedant, juxta Naturæ ordinem & exigentiã, præcipuè cùm sint præcipua pars mundi corporei, & in quibus datur ordo per se, ut habetur 12. metaph. ergo constitutio & dispositio corporũ cœlestium tum quoad suum esse, tum quoad moveri & operari, debet fundari in ordine & necessitate Naturæ, atque præire tanquam universalis causa omnes effectus sublunares, & præsertim eventus contingentes & arbitrarios, quamobrem omnino reijcienda est præfata sententia.

XLIII. Ad confirm: iam ostensum est in Coroll. 10. quòd non est absurdũ, sed maximè veritati con-

ſonum, omnem judicantem de futuro, mentionem facere de divinâ ſcientiâ, modo ibidem explicato. Deinde quòd ad revelationes & prophetias attinet, non diffitemur ijs ineſſe connexionem cum futuro contingenti, non juxta naturam & exigentiã ordinis naturalis, ſed cum diſpenſatione eiuſdem. Ad alterum indicium ductum ex eo, quòd veritas videatur perfectio cognitionis, adeóque illi intrinſeca, Reſp. quòd veritas cognitionis eſt perfectio eiuſdem, ſed non ſemper in ratione finis, ſed aliquando in ratione medij, & tunc non eſt neceſsè, ut ſit intrinſeca ipſi cognitioni. Ad cuius reſponſionis evidentiam, ſciendum eſt, quòd ea vocatur perfectio in ratione finis, quæ per ſeipſam & ratione propriæ bonitatis eſt amabilis & laudabilis, præſcindendo ab omni utilitate reſpectu alterius: ea autem dicitur perfectio in ratione medij, quæ eatenus habet æſtimabilitatem & amabilitatem, quatenus poteſt conferre in ordine ad ponendum aliquod bonum per ſe amabile: de priori perfectione indubitatum eſt, quòd ſit intrinſeca ipſi perfectibili, quandoquidem nihil eſt per ſe amabile & æſtimabile, eo modo, niſi ratione propriæ bonitatis intrinſecæ. At loquendo de poſteriori perfectione, poteſt aliquid perfici per aliquid extrinſecum. Et ratio à priori eſt, quia poteſt aliquid in ordine ad cauſandum aliquod bonum compleri & iuvari per aliquid extrinſecum, v. g. terra in ordine ab cauſandos flores completur & perficitur per aſſiſtentiam ſolis & cœli. Veritas autem in cognitione

tione tunc tantum est perfectio (loquendo de perfectione secundùm rationem veritatis) in ratione finis, quando habetur vel ratione motivi excellentis, adeóque infallibilis, vel arguitivè ratione potentiæ non potentis propter suam perfectionem habere cognitionem falsam, & tunc quidem veritas formalis, vel saltem radicalis est intrinseca ipsi cognitioni. At verò quando cognitio est eiusmodi, ut procedat ex ijsdem motivis, atque ab eâdem potentiâ, & eatenus dicatur vera, quòd casualiter obiectum existat, tunc tantũ veritas ipsius est perfectio in ratione medij, consequenter haberi potest per aliquid extrinsecum. Et certè si Petrus nixus motivis probabilibus dicat Paulum peccaturum, & postea Paulus non peccet, nihilominus est æquè æstimabilis & laudabilis Petrus, quod signum evidens est, quòd veritas, quæ deest ipsi, est tantùm perfectio in ratione medij.

Omnia ad maiorem DEI Gloriam.

APPROBATIO THEOLOGICA.

Disputatio ista non minùs animosa, quàm animastica, fidei, probatísque moribus non repugnat, & doctrinæ sublimitate seipsam, ac opinionem de præclaro Nobilis Domini defendentis profectu valde Commendat. Ideo luce ac publica discussione dignissimam Censeo.

HENRICVS HENRICH S. J.
Facultatis Theologicæ nunc Decanus.

APPROBATIO PHILOSOPHICA.

Theses istæ quàm subtiliter & eruditè naturam veritatis investigant, tam Solidè Atomistas Confutant: unde publicâ Luce & Concertatione dignas Censeo.

JOAN. BAPT. ERHARDT.
Soc. IESV. Philosophiæ Prof.
Ord. & nunc Decanus.

GERMANO SVO FRATRI.

Philoſophicâ anatomiâ atomorum fabulas refutanti aggratulatur.

Somnia ſunt veterum iam pridem exploſa ſophorum,
Ex punctulis orbem eſſe grande coagulum.
Ex his, ſi quæras, quid ſint vaga ſidera cœli?
Quid decora terræ, quídq; pulchra hominis ſtrues?
Pulvis & umbra ſumus, dicunt, nam pulvere conſtat
Et levibus atomis ſpiritu quidquid caret.
Pulvere & umbroſa digna eſt ſententia nocte
Quæ fundat agili veritatem in pulvere.
Myrmidonum, eia! pugil monſtrorum deprime vulgus,
Punctum omne referes, puncta ſi iſthæc diſſipas.
Et licét ex atomis nil prodeat utile; verum
Sunt ſæpè magnæ parva laudis ſemina.
Si vile ingenio punctorum viceris agmen
Conflabis inde punctum honoris maximum.

Fraterni amoris ergò

JOSEPHVS ADLZREITER
à Töttenweis J. V. S.



